



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Ivsta Reipvb. Christianæ In Reges Impios Et  
Haereticos Avthoritate: Iustissimaque Catholicorum ad  
Henricum Nauarræum & quemcunque hæreticum à regno  
Galliæ repellendum confœderatione ; Liber**

**Rainolds, William**

**Antverpiae, 1592**

Capvt XI. Conclusio ad præcipuas quasdam familias, & Ordines reipub.  
Gallicanæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63183](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63183)

crilegijs, ruinis, incendijs, & stragibus perspiciuntur edocti cauere volunt ne Calvinisticum iugum suis cervicibus imponi patiantur: si deinceps sub eo iugo gemant, si spolientur, si profligentur in exterarum regiones, si (vt in Anglia) Nobiles propter vnicam Missam auditam euersi bonis omnibus carceribus includantur, si propter confessionem fidei Catholici securi carnificis cervices suas tanquam perduelles cogantur præbere; denique si cadantur, si iugulentur, si dissecentur in partes, & ad portarum fastigia pascendis coruis eorum membra suspendantur, quod est in Anglia vsitatissimum, & quas Anglorum leges in Galliam traducendas istorum principum antecursores Ministri & scriptores Hugonotici, omniaq; Nauarræ dicta, facta, mores, & in regno Biernenfi leges acerbissimæ contra Catholicos & Catholicam religionem positæ, clarissime & euidentissime præsignificant: si in hanc vicinorum suorum tyrannicam & corporis & animæ seruitutem cadant Catholici Gallicani tot documentis ad sibi præcauendum frustra admoniti, quis tandem eorum conditionem dolebit, quis calamitatem & miseriam lamentabitur?

Conclusio ad præcipuas quasdam familias & Ordines regni Gallicani.

CAPVT XI.

1. Quamuis homini externo optandum sit hereticum effici Gallia regem, ex quo sequutura est eiusdem regni in varias partes distractio, & principibus vicinis ditiorum suarum amplificatio: tamen homo Christianus propter ecclesie fideique Christiana bonum magis debet eius conseruationem sub



vno iusto rege desiderare, quod Nauarræus certo certius euerfusus est: ad quod vt asperet, nulla ei vel diuinitus vel humanitus suppetit ratio.

2. Comparatio regni Gallicani hoc tempore quoad regem nuper casum & successorem ab eo designatum Nauarræum cum Imperio Rom sub Imperat. Constantio, & eius successore Iuliano Apostata, Detestatio Henrici Valesii qui Cathol. religionem præ se ferens tota vita sua, talem tamen reliquit successorem eiusdem fidei hostem & euersorem, vt Constantius Arianus Iulianum Apostatam.

3. Hortatio ad Nobilitatem Gallicanam & inprimis ad Familiam Borboniam despicere iam & ruere incipientem, vt in maiorum fide Catholica persistant, ad regem suum Catholicum Carolum Borbonium se adiungant, & maculas per novos familia sua hereticos ipsorum antiquæ & hereditariæ gloriæ aspersas eluant.

4. Laus Familiæ Guisæ quod perpetuò sit fueritque Catholica fidei studiosa propugnatrix, id quod in vltimo Henrico Duce Guisio fratribusque eius maxime eluxit, quo præcipue zelo & verè Christiana fortitudine probant se genuinos Caroli Magni posteros.

5. Ad Nobiles Catholicos Nauarræo & hereticis unitos, & quicumque Nauarræi factionem sequuntur eumque in solio Gallicano statuere laborant, vbi primo ostenditur quod grande coram Deo peccatum sit Catholicos cum hereticis istorum more consociari.

6. Quod heretici eorum opera videntur ad heresim suam Galliam stabiliendam, & deinceps eos tanquam proditores horrebunt, & si commodum vel statuti vel religioni Calumnæ videbitur, occidant: vti fecit in Anglia Henricus octauus & eius filia Elizabetha erga istiusmodi Catholicos.

7. Idem omnino factum est ministrorum potissimum instigatione in Scotia contra Scotos Catholicos, hoc eodem modo heresi illic introducenda hereticis inferuentes.

8. Idem prorsus eodemque modo factum est ab Aurangia & suis



& suis in Flandria, vbi Flandrorum Catholicorum coniunctio & consociatio cum Aurangio simillima consociationi Gallorum Catholicorum cum Nauarrao & Calvinistis Gallicis particulatim explicatur: vt ex illorum fœdo euentu horum exitus certissimo poterit præuideri. Estque verè contra naturam heresis, antiquam Nobilitatem Catholicam ferre regentem & florentem, quando eam potest succidere & exterminare.

9. Ad Clerum Gallicanum, qui nisi planè sint homines & Athei & Stupidi, quique omnem proiecerunt curam & Christi & sui ipsorum: necessariò debent vel Christi vel sua causa diligentissime contra Nauarraei regnum laborare.

10. Ad ciuitates & populum Gallicanum vniuersè qui præter detrimenta ipsis cum reliquis communia certo sibi pollicentur bonorum suorum per regè hereticum interminatam ereptionem & spoliationem, id quod perspicuis experimentis Angliæ & Flandriæ futurum clare demonstratur.

11. Ad proceres Calvinianos, vbi docetur aque manifestis experimentis Ministros eis arrogantissime dominari & per procerum sanguinem regnum suum machinari, nec eos re vera magis proceres quàm rusticos aestimare, quin potius Nobilitatis Gallicana exterminationem moliri, vt democraticos magistratus quibus ipsi dominantur, inducant.

12. Conclusio continens varias rationes quare sperandum sit hunc Calvinianum Atheismum in Gallia non inueteraturum, maximè quia eius horribilem impietatem iam olim degustarunt Galli: quemadmodum olim Christiani quum sub Imperio Iuliani experti fuissent Gentilium Calvinistis simillimorum feritatem, nunquam postea alterum Gentilem Casarem ferre valuerunt. Simul ostenditur Francis multo fore & apud Deum & apud homines gloriosius sese omnibus belli molestijs exponere etiam cum certo vitæ discrimine (qui tamen magnam & penè certam de victoria consequenda spem iure possunt concipere) quàm heretici regis iugum ferre. Quod si secus fecerint, nulla est aded ex-



extrema miseria & calamitas qua non illos suo merito inno-  
luat & obruat.

I.



Erunt his omnibus miserijs & pericu-  
lis à Catholicorum iugulo auerendis  
quem ego liberatorem, quem reip.  
Gallicanæ in his angustijs positæ ser-  
uatore, his tam varijs hæresum &

Carolus  
Borb. rex.

hæreticorum monstris quem exterminatorem,  
quem alium tanquàm Herculem *à d. g. m. d. v. ap. p. s.*  
appellem quam ipsum Gallorum regem Carolum  
optimum & prudentissimum, eum quem reipub.  
huius patrem vetus regem institutio, & Christia-  
narum legum custodem maiorum exempla, & re-  
ligionis vindicem ipsius virtus & multis operibus  
testata sanctitas, & hæreticorum hostem regale ius  
sanctissimumque hoc fœdus ab eo inchoatum, &  
horum malorum omnium medicum atque depul-  
sorem diuina scripta, & ecclesiasticæ leges, & par-  
ticularia regni huius iura, ipsiusque inprimis zelus  
& pietas, plurimæque pro fide Catholica contra  
suam ipsius hæreticam stirpem susceptæ dimica-

Hofsi Gal-  
lia optan-  
dum ut  
Nauarr.  
rex Gallia  
fat.

tiones atque pericula efficiunt atque designant. Et  
quanquam si multorum Politicorum more illud  
tantum circumspicere quod patriæ & principi  
meo expediret, suaderem Nauarræum *condemnatum*  
hæreticum admitti Gallia regem, ex quo probabile  
esset subditos Coronæ illius quum nec diuino iu-  
re, nec humano, nec vlla conscientia hæretico  
tali obedire teneantur facile in varias factiones  
distrahendos, facileque aliorum vicinorum prin-  
cipum imperium accepturos, vnde Burgundica  
domus inter alias non magno negotio recupera-  
ret quæ in Burgundia, Campania, & Picardia  
morte Caroli vltimi Burgundorum Ducis ami-  
sit: tamen quia non tam quid vtile sit Burgundico  
nomini



nomini quam quid sit vtile reipub. Christianæ ex-  
 pendo, nec in meipso tanti vel sanguinem Burgū-  
 dicam vel mei regis gloriam, vel patriæ amplitudi-  
 nem, quàm Christi fidem, religionis integritatem,  
 æternam animarum salutem, totius ecclesiæ Chri-  
 stianæ & Catholicæ bonum considero: Deū Opt.  
 Max. ex animo precor vt Galliæ veteris sui Impe-  
 rij terminos latissimos conferuet, modò tamen  
 Gallia veteris suæ fidei possessionem non deserat.  
 Sin verò Gallia à maiorum suorum Catholicorum  
 fide discedat, tum ego Gallia non tantum *pro vno* Cominaus  
*sex reges exopto*, vt olim Dux noster Carolus, sed etiã Comment.  
*lib. 4.*  
 decem & decies mille si fieri posset, omnibus nimi-  
 rum vrbibus suos separatim reges & regulos im-  
 precor: vt quemadmodum Galli quoad spiritua-  
 lem obedientiam ab ecclesia Christi Catholica ne-  
 fario schismate & hæresi se diuiserunt, ita quoad  
 temporalem subiectionem ipsi à se inuicem disso-  
 cientur & separentur, quò talibus factionibus tan-  
 quam verberibus & plagis à Deo inflictis correpti  
 videant & emendent errorem quem verbis & salu-  
 tari pastorum suorum adhortatione admoniti vi-  
 dere & corrigere noluerunt. Quanquam autem tã-  
 tum ego mihi non arrogo, vt putem me rationes  
 demonstrare posse quemadmodum hæc Galliæ vul-  
 nera sanentur, quæ post tot & bellorū & pacifica-  
 tionū phar maca adhibita, semper tamē vigent, &  
 nūc magis quã antea recrudescūt, & peritissimorū  
 atq; per bonorū medicorū arte manūq; indigent:  
 & plurimū exercitati in negotijs politicis cōsiliarij  
 vix fortasse quid optimū sit diuinis suis ingenijs ex-  
 plicare possunt: tamen præmonere quid vniuersa-  
 lem quandam reip. & religioni ruinam sit allaturū,  
 hoc non tam singularis medici aut perspicacis est  
 cōsiliarij, quam mediocris è cōmuni turba viri &  
 vulgaris



*Hæresis cer-  
ta Gallia  
ruina.*

vulgaris Christiani. Etsi enim solius medici est ap-  
singulis morbis medicamenta apponere, tamen cu-  
iuscunq; hominis est scire aconitum, cicutam, ven-  
enum suæ sanitati esse aduersarium. Et licet do-  
ctissimus tantum theologus hæresim quamq; suis  
proprijs Scripturarum, & Conciliorum, Patrumq;  
antiquorum locis theologicis nouit refellere: tamē  
hæreticum esse deuitandum, cum eo non esse fa-  
miliariter versandum, multò minus ei tanquam re-  
gi cum humilitate & reuerentia parendū, hoc sim-  
plicis Christiani est tanquam verissimum certa &  
sincera fide credere. Quare & medicis sua, & consi-  
liarijs sua, & sua item theologis priuata artis argu-  
menta relinquens: quod & consiliarijs, & medicis,  
& theologis est ex æquo cōmune, & quod ex veteri  
orbis Christiani experiētia cuius est populari turba  
christiano est perspicuū, id vnum vrgeo: non posse  
vitari præsentem Gallia interitum & dissipatio-  
nem, siquidem damnatus ab ecclesia hæreticus ad  
eam regendam assumatur. Quod cum supra fuisse  
iterum atque iterum probauerimus, non satis ad-  
mirari possum qua fiducia subnixi Calvinistæ sua  
factioni regnum illud tam superbe pollicentur. Ec-  
quid enim populi Catholici fauore illud captant,  
quorum innumerabiles cætus non aliter quam pe-  
corum greges in suis illis cruentissimis rebellionibus  
trucidarunt? Aut Nobilitatis præsidio, è qua  
plurimos contra fidem datam perfide occiderūt, &  
reliquos omnes tanquam *regis Hispani pensionarios &  
Gallicana Corona rebelles* iam olim prædānatos Mon-  
falconi deuouerūt? Aut verò episcoporum & Cleri  
suffragijs fidunt, contra quos sæpe numero, maxi-  
mè in prima rebellionē se propriè sumplisse arma  
iactarunt? & quos radicitus extirpandos tanquam  
idololatrias & Euangelij hostes, Ministri Calviniani  
perpetuò

*Suprà cap.  
56.7.*



perpetuò è pulpitis declamant, & in posterum vociferabuntur multò contentius? & è quibus quinque millia in duabus primis rebellionibus mactata ostendunt infinitam numerum in tot reliquis seditionibus consecutis ab istorum furioso milite fuisse contrucidarum? Aut vlla suffragatione alioius Catholicæ in repub. Gallicana partis se consolantur, cuius totius summo cum desiderio, plenissimis votis, in posterioribus istis Comitijs Blesensibus Nauaræus vt hostis patriæ, hostis Dei & religionis, vt hæreticus, & hæreticorum protector ab omni Gallicani imperij potiundi spe exclusus est? Ecquid verò aliorum in orbe Christiano Catholicorum auxilium sibi pollicetur, qui supremi Catholicorum omnium Pastoris censura se è Christianorum confortio & communionem vt putridum & corruptissimum reipub. Christianæ membrum relectum & eiectum nouit? Ecquid Christi Dei omnipotentis numen in hac iniustissima & sceleratissima causa sibi propitium fore credit, qui tot millia ecclesiarum in quibus eius nomen purè colebatur euertit, qui per Ministros & Apostatas suos tot eius sacerdotes occidit, qui adeo horribilibus & nunquã antea auditis blasphemijs & quas non tam ex hominis alicuius quãquam flagitiosissimi ingenio quã ex ipsius Satanae officina profectas fuisse certissimum est, diuinissimã Christi personam naturamque, vel qua ab æterno natus est ex Deo patre, vel in tempore ex sacratissima virgine matre, fecit & deformauit? & qui propterea eum nõ minus quàm *Iudeum*, quàm *Ammonitem*, quàm *Moabitem*, quàm *Ethnicum*, quàm *Iudã traditorem*, quàm *cultorem Daemonũ*, quàm *canem*, quàm *irrationabile pecus*, aliquo inter Christianos munere indignum iam olim per Episcopos suos, per Confessores, per Martyres, per Pro-

Sup. cap. 7  
§. 7. 8.



*Dux Na-*  
*maristarii.*

*Belforeff*  
*lt. 3. cap.*  
*80.*

per Prophetas, per Apostolos in Concilijs episcoporum, in patrum monumētis, in sacris literis pronūtiavit? Quod si ex his omnibus nihil opis potest expectare, si soli qui eius partes sustineāt supersunt hæretici, ijq; variarum sectarū & maxime disparatarum, Calvinistæ, Libertini, Lutherani, Anabaptistæ, Trinitarij, Athei, & cum his eorum generalis Magister & antesignanus Saranas in cuius schola instruūtur, cuius spiritu instantur, cuius numine diriguntur, & sub cuius vexillo contra cruce Christi militant: nunquid isti iam tandem de regno Gallicano disponent? An isti rempub. quæ tot seculis Christianissima permansit, Antichristianissima sup Antichristianæ perfidiæ diabolicis Confessionibus efficient? Et quod nec Albigenes hæretici rexque Aragoniorum, illisque adiuncta plusquam centum hæreticorum & Saracenorum millia: nec ante eos Ariani cum suis quadringentis Maurorum & Mahometanorum millibus, & tribus potentissimis Saracenorum regibus poterant, id pauci Calvinistæ & Athei cum suo Biernensi regulo audent sperare, vel sola cogitatione concipere?

2.

Et tamen ne secure tanquam in portu nauigent Catholici, aliquid est nec id contemnendum ex quo Ecclesiæ rei que publicæ Gallicanæ non leue discrimen imminere agnosco. Ita nimirum superioris regis impietate, confusa & permixta sunt in hoc regno pleraque, talis hæresi ianua aperta, & is hæretico ad regnum inuadendum patefactus aditus, vt mihi similes veterum temporum regnorumque historias & rerum exitus intuenti, nisi magna domi forisque Christianorum cura & prouisio maturè cancro huic impediendo penitusque tollendo intendat; ne morbosa huius regni pars saniozem, pestilens integram, mortua viuam & valentem,



valentem; corruptissima nimirum Calvinismi  
 nes sinceram Catholicæ fidei puritatem in-  
 net, vastet, & depopuletur, valde sit pertimes-  
 cendum. Eadem nimirum profus est conditio re-  
 gni Gallicani sub Henrico III. & isto Nauarræo,  
 quæ erat Imperij Romani sub Constantio Aria-  
 no & Iuliano Apostata. Utque Constantius in-  
 clinabat ad designandum Iulianum Cæsarem pro-  
 pter propinquitatem sanguinis (erat enim Con-  
 stantij consobrinus) eadem fortasse ratio aut alia  
 aliqua flagitiosior commouit Henricum Valesium  
 ut Nauarræum suum esse vellet successorem. Ha-  
 buit Iulianus ille Imperatoris illius sororem He-  
 lenam in matrimonio, quemadmodum item Na-  
 uarræus huius Gallorum regis sororem Margare-  
 tam uxorem duxit. Simulauit valde religio-  
 nem Catholicam Iulianus, vsque eò ut *abrasa*  
*uite vitam monasticam* profiteretur: simulauit item  
 egregiè Nauarræus vsque eò ut nihil ab homine  
 valde Catholico posset requiri, quod Nauarræus  
 non præ se ferret. Constantius Iulianum quia  
 fororium suum honoratissimæ Imperij prouinciæ,  
 Galliæ videlicet regendæ præfecit. Henricus Na-  
 uarræo, fororio suo præcipuam eiusdem Galliæ  
 partem similiter regendam tradidit. Iulianus post-  
 quam multorum Ethnicorum amorem suis frau-  
 dibus collegisset, *simulationem Christianæ religionis pe-  
 nitus deposuit, & singulas ciuitates peragrans, delubra ape-  
 rive, offerre simulacris, se Pontificem appellare cepit, Gen-  
 tiles autem festa Gentilitia celebrare, &c.* Et Nauar-  
 ræus vbi per diu constantem egisset Catholicum,  
 cum deinde morte regis Caroli videret Caluina-  
 nam factionem paulò magis ingrauescere, simula-  
 tionem Catholicæ religionis cum Iuliano peni-  
 tus deposuit, Rochellamque, & Montalbanum,  
 aliasque

*Comparatio Constantij & Henrici Valesij Iuliani A-post. & Nauarræi*

*Socrate lib. 3. cap. 1.*

*Socrate ibid.*



aliasque Caluinianas ciuitates adiens, nefarios Caluini ritus & cænas rursus erigere, synagogis confirmare, seque earum protectorem & reuera Pontificem, supremum nimirum rerum sacrarum caput, præsidem, & moderatorem fecit. Iulianus quamuis ipse iam aperte Apostata à fide Catholica defecerat, quia tamen verebatur Catholicos, quorum magna erat in Imp. Romano potentia quam sub duobus Imperatoribus antegressus Constantino & Costantino comparauerant; promittebat Catholicis libertatem Christiano more viuendi & credendi, quam tamen postea vafre & veteratoriè, non quidem pet se, sed per suos ministros atque satellites auferebat. Nec aliter Nauarræus quia videt magnam esse Catholicorum in Gallia potentiam, illis non ab vno vel altero sed à sexaginta fere Christianissimis Galliarum regibus totaque repub. Gallicana attributam, idcirco & per se & suos ministros, scriptores & emissarios sæpissime inculcat, abominari se eorum crudelitatem qui vim conscientijs inferunt, solum esse donum Dei, non esse regium sed tyrannicum cogere homines ad fidem, ideòque se non impedire, nec verò vnquam impediturum quin Catholici Christiano veterum maiorum ritu Christum venerentur. Quòd si aliquando Nauarræus eò quo aspirat peruenerit, certò nouerint Catholici has omnes Nauarræi pollicitationes eundem habituras effectum quem similia permulta similium Caluinistarum principum in Anglia & Flandria his proximis triginta annis, & tum in Romano Imperio illa Iuliani promissa habuerunt. Reliquas huius historice comparationis partes omnes aptissime cum nostro instituto cohærentes & sibi respondentes mutuo, vt item plurimas alias Nauarræi actiones in abolenda Christiana religione Iulianij illius sceleribus

*Apologie  
Catholique  
part. 2.  
pag. 127.  
209.227*



sceleribus partim similes partim longe nequiores,  
 data opera prætereo. Hæc pauca tantam ostendunt  
 esse similitudinem in illorum & istorum tempo-  
 rum historia, in illo Ariano Cōstantio & isto nescio  
 cuius fideli Valesio, in illo Constantij successore  
 Iuliano Apostata & isto Valesij iuxta illius desi-  
 gnationem successore Henrico Nauarræo, vt non  
 immeritò timeatur ne idem eueniat in Imperio  
 Gallicano per impudentissimam nequitiam Hen-  
 rici Valesij, quod tunc in Romano Imperio conti-  
 git per inconsideratam imprudentiam Constantij  
 Ariani: ideoque facere non possum quin ad effica-  
 ciorum viuorum admonitionem, verbis D. Grego-  
 rij Nazianzeni vtar, & eodem modo Henricum  
 hunc mortuum compellem quo ille Constantium  
 defunctum affatus est. *Quid tibi accidit Constanti*  
 (Henrice) diu quidem rebus contra hæreticos ge-  
 stis florentissime, quodnam hoc consilium suscepisti, qui  
 in adolescentia, Galliarum prouincias per gyrum repurga-  
 bas, tyrannosque intestinos Condæum, Colignium,  
 armis tibi subijciebas, ad quem legationes & suppli-  
 cationes undecunque, ex Italia, ex Polonia, ex vlti-  
 ma Sarmatia Thraciæque confluebant, cui primo  
 tuo ad regnum Gallicanum accessu Galliarum  
 populi ciuitatesque omnes, non Catholicæ tantum, sed  
 ipsæ quoque Hugonoticæ partim iam dicto audientes  
 erant, partim iam iam futuræ erant, vt in eodem timore es-  
 sent omnes ij quorum expugnatione in spe posita erat ac si iam  
 domiti ac in potestatem tuam redacti essent: cum in hoc  
 felicitissimo rerum gerendarum cursu, quis de-  
 monum ad hanc deliberationem tibi irrepit, vt repentino  
 quodam impetu & nimis obstupenda mutatione  
 parva simul ac sperata decora euerteres vniuersa?  
 Quomodo magnam illam hereditatem, Christianos intelli-  
 go illud patris tui decus atque ornamentum, nec patris

*Nazian.  
 oratio. i.  
 in Constantio.*



tantummodo & aui, sed omnium abauorum & maiorum tuorum qui vel à Capeto, vel à Carolo magno, vel etiam à magno Clodouæo in Gallia ad hanc tuam ætatem regnauerunt, quomodo gentem illam Catholicorum toto passim orbe lucentem, regale sacerdotium, multo labore multisque sudoribus veterum Galliarum regum auctum, & pro cuius amplificatione & Clodouæus ille, & filius Childebertus, & Martellus, & Pipinus, & Carolus magnus, & Ludouicus Pius, & Philippus Augustus, & Ludouicus Sanctus alijque, tot in Oriente contra Turcàs, in Meridie contra Arabas, in Septentrione contra Hussitas & Normannos, & domi suæ in Gallia contra Albigeſes bella sanctissimè fortissimèque gesserunt, tam breui & exiguo temporis puncto, huic pesti atque furie (Nauarræo Caluiniano) tradidisti? Atque ita omnia vel tua vel maiorum tuorum clarissima tot sæculis patriarchæa eodem temporis momento perdidisti! Et quàm immensa est inter te ita facientem & illos gloriosos auos tuos (si tamen credibile est eos fuisse auos tuos, aut in tam impio & degenerè tyranno aliquid extitisse veri & antiqui Francorum sanguinis) dissimilitudo? Illi nec in vltimis Galliarum finibus regem hæreticum ferre potuerunt & tu hæreticum vniuersi Gallicani Imperij constituis regem atque Monarcham? Illi cum hæresim ex Gallia ultra Pyrenæos montes pepulissent, eandem nec in remotis illis oris potuerunt tolerare, sed montes illos cum suis Francis transgressi, multis prælijs hæresim illic confidentem represserunt, & Catholicis Hispaniæ ad eam penitus extirpandam aperuerunt viam: & tu ab extremis montium illorum finibus hæresim in Galliam euocas, & in Galliarum totiusque Europæ ciuitate amplissima atque primaria Lutetia Parisiorum hæreticum vt solio & sceptro regalis.

*Henric. Valesius quã contrarius presens Galliarum regibus.*



gali fruatur collocas? Tum cum Gallie regis Childerici soror Hispaniarum regi hæretico nupta, ab eodem propter fidem paulò indignius tractaretur, & ipse Galliarum rex cum frequentissimo Gallorum exercitu, generoso spiritu, non tam regni quàm religionis iniuriam vlturus in Hispaniam transmisiit, & regem quanquam affinem & fororiũ in prælio occidit, abductaque sorore celebri cum triumpho in Galliam reuersus est: & nunc Galliarum rex multò quàm Childerici ille potentior, sororem suam à subdito hæretico longè quàm Hispaniarum ille rex fuit inferiore, contumeliosius tamen haberi intelligens; vsque eo & suam priuatam, & regni, & religionis Christiane iniuriam dissimulauit, vt non modò vitam ei permittere; sed etiam tanquam in improbitatis & impietatis præmium, Gallicanum regnum ei tradere voluerit? Neque aduertit homo humanitatis expers & vitæ communis ignarus, totusque flagrans vindictæ cupidine contra eum à quo nunquam vel facto vel dicto læsus erat, hanc regni Gallicani mutationem, qua à stirpe Catholica ad hæreticam Corona illa transferretur, ipsi longè turpiorem fore & infinitè magis dedecorosam, quam veterem illam qua sub Childerico Stupido ad nouam familiam deuoluta est? quando illic in repub. ciuili nullos aut non valde turbulentos motus, in repub. spiri-  
Qua mal  
sequuntur  
in Gallia  
ex rege hæ  
retico.  
 tuali hoc est in ecclesia, nihil prorsus turbatum emerfurum facile præuidebatur. Nunc autem & in repub. ciuili perspicuum erat cum hac mutatione multas factiones, multos intestinos tumultus, urbium excidia, procerum cædes, nobilissimarum familiarum euerfiones, veterum omnium legum, omnium dignitatum, honorum, iudicũ, iudiciorum,



ciorum, tribunalium, Parlamentorum omnium, omnium Equestrum Ordinum siue Archangeli Michaëlis, siue Spiritus sancti (quem Ordinem potissimum crebris & valde solennibus iuramentis se perpetuo conseruaturum & aucturum vir iste deuouerat) siue Melitensis contra Turcas militia, & quæ sunt eiusmodi Christiana militum instituta, eorum (inquam) omnium ruinam cum hac mutatione certissimò coniungi, vt quæ omnia Catholica religioni nituntur & fundata insistant. In ecclesia autè nihil remanere potuit sani & integri, quoniam ex tota hac Calviniana tragædia constitit, illic eijciendos & maectandos fuisse presbyteros & Episcopos, disturbanda templa, destruenda monasteria, conculcanda sacramenta, ipsam honestatis & castitatis professionem extinguendam, pellèdes ex Ecclesia Apostolos & antiquos patres cù doctrina sua diuina & cælesti, & eorum loco introducendos fœdissimos illos Apostatas, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam, homines totos ab domini deditos & libidini, qui sordidam & luxuriosam doctrinam prædicarent suis moribus congruentem: vt taceam Christum Deumque ipsum cõsolio deitatis exturbadum, beatissimam Trinitatem innumeris blasphemijs conspurcandam, singula religionis Christianæ capita horribili contemptu profonanda. Et potuit hæc vastitas vel in cogitationem venire regi Christiano, vt non totis artibus contremisceret? Vt non statim intimis sensibus ad eam impediendam commoueretur? Vt non consideraret se hoc facto effici non tam fratribus suis, patrique & auo, & omnibus Christianis maioribus, quam sibi ipsi hostem capitalem? Qui quæcumque à primis cunabulis contra hæreticos vel in pace prudenter, vel in prælijs fortiter, vel in Parla-

mentis



mentis prouide, vel in ecclesia religioſe, vel cū exter-  
nis principibus, ad regni tranquillitatem regiē,  
ſagaciter honorifice fecit, ea omnia hæc tam infan-  
da prodicione funditus euerteret? aded vt nec Cō-  
dæus in bello Iatnaceni, nec Colignius in Iuſtitia  
Bartholomæana propter innumeras rebelliones,  
Henrici iſtius voluntate cæſus, magis Henrico iſti  
quàm ipſe Henricus ſibi fuerit infeſtè aduerſarius?  
Potuit (inquam) hæc de hæretico ſucceſſore deſi-  
gnando cogitatio in animum eius irrepere, vt non  
vnà ſecuram nominis ſui æternam infamiam, ve-  
rorum Francorum tota poſteritate odium, orbis  
Chriſtiani execrationes, terribile Dei iudiciū, ſem-  
piternas inferorum flammās tantam impietatem  
vindicturas ſecum verſaret & expenderet? Opti-  
mus & fortiſſimus idēque moderatiſſimus Ro-  
mani in Hiſpania exercitus Imperator Cornelius  
Scipio vbi milites aliquot ſuos cum Carthaginen-  
ſibus contra Romanos conſpirare accepiffet, con-  
cione aduocata ita ſcelus hoc deteſtatur, ac ſi nihil  
in mundo accidere potuiſſet prodigioſius. Vos (in-  
quit) milites Itali & Romani, Africam Italia, Carthagi-  
nem vbi Roma imperare velletis? Quale hoc conſilium  
veſtrum, quæ mens, quanta fuit infania vt hoc mo-  
liremini! Lapidem pluere, & fulmina iaci de cælo, & in-  
ſuetos factus animalia adere, vos portenta eſſe putatis? Hoc  
eſt portentum, quod nullis hoſtijs, nul'is ſupplicationibus, ſi-  
ne ſanguine eorum qui tantum facinus auſi ſunt expiari  
poſſit. Tantoperè vir ille horrebat, & contra na-  
turam eſſe putabat, vt aliquid à Romano fieret in  
preiudicium Romæ, aliquid per quod Africa Ita-  
liæ, Carthago ciuitati Romæ dominaretur. At  
quanto horribilius eſt aliquid à rege non ſolùm  
Chriſtiano, ſed Chriſtianiſſimo, & Chriſtiana ſa-  
cra tam deuotè frequentante, & ad ornandum

*Liuii De  
cad. 3.  
lib. 8.*



Christianismum non vsitato regibus mitoque in  
speciem zelo noua & militia & disciplinae Chri-  
stianæ instituta sanciente hoc committi, ex quo  
perspicuum erat, & certò consequens erat, non  
quidem Carthaginem præpotentem & illustrem  
*Genus.* ciuitatem, sed Gencuam vilem & omnium Gal-  
liæ rebellium, latronum, lenonum, adultero-  
rum, sacrilegorum & sicariorum sentinam, imò  
inquam tanquam generalem cloacam totius Eu-  
ropæ impuritas continenter se exonerat: hanc  
Gehennam vrbi Apostolorum Romæ & sanctorum  
metropoli Parisijs, hæresim Catholicæ fidei, noui-  
tatem antiquitati, Synagogam Satanæ Ecclesiæ  
Christi, ipsum verè in membris suis Beelzebub  
Christo Iesu eiusque Apostolis & Discipulis & fi-  
delibus quos ille per regnum Gallicanum *posuit ad*  
*ecclesiam suam regendam* episcopis & pastoribus do-  
*Alt. 20.* minaturum! Hoc quidem tanto est illa Romæ-  
norum cum Carthaginensibus coniuratione por-  
tentosius, quantò apud Christianum hominem  
aurum luto, cælum terræ, aternitas mortalitati,  
Christus Romulo, Roma sancta Christi que & A-  
postolorum & sacrorum omnium Sedes, eidem  
Babylonicæ idolorum & superstitionum omnium  
cultrici, hoc est quantò sempiterna in cælis cum  
Christo corporis atque animæ salus paucorum  
dierum in hoc mundo fallaci gloriæ est a reponen-  
da. Vt nihil plane mirei si iustitia diuina languis  
ne istius tyranni iam pridem hic cepit expiare,  
*Apo. 21.* qui longe alio modo, longe alio *mortis secunde* gene-  
re infinitum illud peccatum alibi plenius est expia-  
turus: quod etiam si secum immensam trahat ma-  
lorum Iliadem, etiam si densissimè confertam con-  
textamque miseriarum, calamitatum, cædium  
& sacrilegorum seriem in dies singulos pariat,  
illic



ille tamen malorum omnium fluctus vel Oceanus quantumcunque est, non tam Henrico Nauarræo manifeste hæretico, quàm Henrico Valesio fidei & nequissime Catholico attribuendus est. Si enim Angli hæretici ab Hugonotis in Galliam vocati, & in Gallia vires recepti Galliam deinceps spoliauerint, ecquis propterea vir sobrius non Hugonotas magis quàm Anglos criminabitur? Quis Romani in Italia Imperij interitum potius Narseti Longobardos accersenti, & Gotthorum in Hispania regni excidium Iuliano Comiti Saracenos inducenti, quàm ipsis Longobardis & Saracenis non imputat? Si pastor patefacto ouili lupum in gregem ouium immittit, ecquis lupum oues matantem culpam & non potius pastorem qui lupum quem arcere debuit inuitauit? Angli nimirum hæretici in spoliandis Gallis, & Longobardi in vastando Imperio Romano, Saraceni in destruendo regno Hispanico, vt item Calvinistæ in excindenda ecclesia, faciunt quod est hostium, quod est talium Anglorum, Longobardorum, Saracenorum, & hæreticorum. At qui Galli Anglos, Romani Gotthos, Hispani Saracenos, Catholici hæreticos tanquam pastores lupos ea potestate armant qua possunt vel patriam singulorum vel ecclesiam vniuersam depopulari, ijs proprie tanquam ea ijs efficientibus, tanquam authoribus, tanquam architectis, malorum consequentium causa est imputanda, ijsque propterea & viuis & mortuis omnes diræ, omnes vltionis, omnia anathemata & humanitus & diuinitus sunt imprecanda. Et hoc tempore regibus tale quippiam machinantibus minus quam infimo cuique è promiscua plebe, exemplo Nazianzeni, Chrysostomi, Achanasij, aliorumque

Henrici  
Val. vera  
causa om-  
nia Gallia  
malorum.



*Suprà cap.  
3. §. 1.*

sanctissimorum tum prophetarū, tum primitivæ  
ecclesiæ Doctorum parci debere Christiana & pie-  
tas suadet & libertas iubet.

3.

3. Sed paulò longiùs quàm volebam, istorum  
temporum, actionum, & Rerum publicarum, Con-  
stantij Ariani & Henrici Valeſij, Iuliani Apostate  
& Navarraei Calvinistæ, Imperij Romani & regni  
Gallicani similitudo, rerumque ab isto perverse Ca-  
tholico contra veros Catholicoſ nefarie gestarum  
indignitas prouexit orationem meam, quæ quoniam  
hoc tempore nimis est ſera, quanquam ut mi-  
hi videtur Henrico valeſio non minus iam mortuo  
quàm olim viuo tempeſtiua, qui viuis non magis  
quàm mortuis ad omnes ſanas admonitiones ob-  
ſurduit: tamen quoniam ille iam apud alium iu-  
dicem & tribunal mercedem ſuis dignam factis  
reportauit, vereor ne eandem cum Constantio  
Ariano & Iuliano Apostata, qui eadem cum illi-  
lis via ad eccleſiam depopulandam ingreſſus eſt  
eo apud inferos relicto, ad ſuperos viuoſque  
oratio mea redeat, ad Nobiles Gallos quorum  
post regem proximæ ſunt in republica dirigenda  
partes, quibus diligenter inculcari cupio, ut loci  
& dignitatis quam tenent, reminiscantur: & non  
fucatis ſed veris Nobilitatis officijs, non mulle-  
bibus choreis, ſed caſtrenſi diſciplina, non ficta  
virtutis ſpecie, ſed ſolido Chriſti & eccleſiæ ze-  
lo, non ut impij Samaritæ *claudicando inter duas*  
*partes* ( cuiuſmodi homines } Solon legibus ſuis  
capitali ſupplicio affici præcepit tanquam com-  
munes omnium hoſtes ) ſed *rectè ambulando ad*  
*veritatis & iuſtiſſimæ cauſæ deſenſionem*, uti mo-  
net Apoſtolus Paulus, in reipublicæ ſalutem  
incumbant, Dei honorem ſtabiliant, ſequè non  
verbo ſed re Chriſtianos Nobiles oſtendant.

*Nulla vera  
Nobilitas  
ſine vera  
virtute.*

*3. Reg. 18  
21.*

*Gal. 2. 14.*

Recoſ.



Recordentur quod olim cecinit vir prudens,  
*Stemmata quid faciunt? quid prodest (Pontice) magno.* *Iuuenal. Satyr. 8.*  
 fastu & iactantia immanissima,

*Pictos ostendere vultus*

*Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos.*

Sit interim Æmiliani filius aut nepos nihil habeas Æmiliani simile.

Recordentur eius verissimi oraculi,

*Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis*

*Æacida similis, Vulcani aq. arma capeffas.*

Excellentibus nimirum Achillis virtutibus instructus ad reipublicæ hostes domandos & familiam tuam honorandam,

*Quam te Thersiti similem producat Achilles,*

Qui solo maiorum splendore & honoribus contentus nihil aggrediaris excelsum, nihil magnificentum, sed in sola maiorum umbra acquiescens Thersitis & hominum rusticanorum studia sordidasque occupationes confecteris. Recordentur civilem Nobilitatem manare à civilibus virtutibus vulgarem hominum plebeiorum conditionem superantibus, à magna prudentia, à singulari fortitudine, à periculis pro salute plurimorum susceptis, à contemptu diuitiarum, à præclara & flagrante iustitiæ studio, ab eo quod quum homines plebei sua priuata lucra confectantur, isti Nobiles generosiori animo ad omnium vtilitatem & totius patriæ defensionem suas curas & molitiones conferunt. Recordentur Christianam Nobilitatem hoc præterea requirere vt ad has morales virtutes Catholicam fidem & vitam Christiano homine dignam adiungant, vt pro ecclesia Christi bella gerant, pro dilatanda fide Catholica labores nullos recusent, pro Christianorum, & Catholicorum, & ecclesiarum, & sacrarum  
 Aaa s virginum

*Cicero. Aristotel.*

*Civiles Nobilitas.*



virginum conseruatione, contra aduersarios Christi, vel externos vt Turcas, vel internos vt hæreticos, quibusuis periculis se exponant: & si in istiusmodi prælijs pro talibus causis mortem oppetierint, tum demum fructum & præmium Nobilitatis, æternam cum Christo principe & rege suo gloriam se assecutos sciant. Hæc vere Nobilitatis descriptio & de veris Nobilium Christianorum officijs persuasio, induxit tot millia veterum Francorum, vt alij magno numero in Hispanias contra Arrianos, alij in Africam contra Saracenos, alij in Asiam & Ægyptum contra Turcas & Malaluchas contenderent, & solidam gloriam patris illustrissimis de hoste barbaro triumphis in Franciam importarent. Hæc eadem Nobilitatis descriptio omnes vniuersæ Christiani orbis Imperatores & Principes permouit, vt honoratissimum quemque Nobilitatis Ordinem instituentes, qualis est in Gallia *Ordo Sancti Michaelis*, in Burgundia *Velleris aurei*, in Anglia *Garterij*, in Sabaudia *Annunciata*, alibi *Sancti Iacobi*, *Sancti Stephani*, &c. eam temper & vbique absque exceptione apponerent conditionem, ita quidem hos suos equites fore Nobiles, si præter ciuiles virtutes, Catholicam quoque fidem tenerent integram & illabutam: à qua si ad hæresim qualemcunque prolaberentur, eo ipso statim euaderent ignobiles, coloni, agrestes, Therfite aut vilissimo quouis hominione è vulgi sæce nihilo in republica Christiana prestantiores. Hæc erga vna & verissima Nobilitatis descriptio admoneat Nobiles Francos, & inprimis nobilissimam quondam Borboniorum stirpem vt recolligant se, & vulnera familie sue inflicta per istos ignobiles & à vera maiorum virtute & nobilitate degeneres *Condæum & Nauar.* qui nec  
*ciuilibus*

*Nulla inter  
 Christianos  
 Nobilitas  
 sine fide  
 Catholica.*



civilis nec Christianæ Nobilitatis vllum habent  
 vestigium, nouis Christianæ nobilitatis actionibus  
 curent, & nobilitatem veterem redintegrēt. Quan-  
 quam enim permulti eos plerosq; habent pro per-  
 ditis & deploratis, & qui nō ita pridem multis im-  
 pietatis & ingratitude operibus valde suspiciosa  
 dederunt summæ ignobilitatis & sordidæ naturæ  
 iudicia; tamen quemadmodum de sanitate corpo-  
 ris humani nūquam penitus desperatur, etsi aliqua  
 membra spiritu & tanquam vita carere ceperint,  
 quamdiu cor quod est principium vitæ mouet &  
 agitur: non aliter etsi in multis Borboniæ domus  
 membris euidentia præsentis mortis sigga appa-  
 reant, tamen quamdiu uiuit cor, quamdiu princi-  
 pium, & corona, & fastigium viget, ille domus Bor-  
 boniæ basis & fundamentum Carolus Cardinalis  
 Borbonius, ille verus Francorum Melchisedec, ve-  
 rus rex & sacerdos, cuius & regia autoritas, & sa-  
 cerdotalis dignitas, & vitæ sanctitas, & precum ef-  
 ficacitas, & personæ tam insignis excellentissima  
 gratia atque Maiestas, tum apud Deum tum apud  
 homines, & in alijs regionibus orbis Christiani &  
 potissimum in regno Galliarum tantum valet & in-  
 dies magis magisque valebit; nunquam ego de  
 Borbonijs conclamarum esse putabo, sed quam-  
 diu spirant & Catholicorum nomen retinent, tam-  
 diu eos ad Catholicum domus suæ regem, & pa-  
 tronum, & qui in eos omnes & singulos à primis  
 incunabulis cum suarum fortunarum maxima  
 iactura tam multa beneficia contulit, aliquando  
 eos sese aggregaturos & sperabo & precabor. Quæ  
 vnica est ratio nobilitatis eius retinendæ quam à  
 maioribus acceperunt. Id enim si serio cogitant, ad  
 id consequendum nunquā illi nouas semitas & ob-  
 liquos tortuososq; tramites circumspectēt, quando  
 veræ

Carolus  
 Borbonius  
 Rex.



veræ & antiquæ nobilitatis perpetuandæ nulla est ratio certior, securior, & exploratior, quam ut illa plana & directâ via sequantur, qua maiores domus suæ authores & conseruatores antecessisse toti Galliæ notissimum est: hoc est imprimis ardentissimèque sibi complectendam persuadeant fidem Catholicam ipsissimam nobilitatis Christianæ radicem, sine qua ut dixi, legibus siue Gallicanis siue omnium in Europa regnorum Christianorum nemo nobilis est: hancque fidem contra omnes eius hostes quocunq; nomine vocentur, & quocunq; cognationis gradu sibi iunctos, defendendam statuunt, & quo turpiorem Familiæ suæ labem ab istius fidei desertoribus iniustam intelligunt, eo ipsius contentius elaborandum est ut hanc maculam sua virtute eluant, atque ita veterem splendorem instaurant. Defigant oculos suos in S. Ludouicum regem quem non sine iniuria familiæ suæ authorem prædicant & gloriantur, qui tam prudenter, & iuste, & diuine regnum Galliæ suo tempore administrauit, ut populus eum appellauerit, isque se populo præstiterit patrem, nobilitati principem, legibus tutorem, religioni protectorem, toti Franciæ verum regem, omnibus nimirum virtutibus plene instructum quem regem & virum vndequaque nobilem efficiunt, tanta fortitudine & vitæ huius despicientia, modo interim solidam gloriam adipisceretur, ut hostes acerrimos & copiosissimos nihil pertimesceret, bellaque cruenta & periculosissima non grauate susciperet, sed contra Turcas non contra Christianos, contra hæreticos Albigeneses, non contra Catholicos Parisienses in Ægypto oppugnaret Saladinum, in Africa Mauros, Tunesem, Damiatam, ciuitates infidelium, non in Gallia Angolefinum, Pictauium, Rhotomagum, Parisios, ciuitates Ca-

*S. Ludouici  
radix domus  
Borboriga.*

*M. Hailan  
de Pessat  
de France.  
lib. 1.*

*Nobiles a-  
ctores S.  
Ludouici.*

tholico-



tholicorum. Liberalitatem item & magnificentiã ostendebat non in conducendis militibus peregrinis qui direptas ciuitatum & ecclesiarum Gallicarum opes in Germaniam auerherent, sed in extruendis Xenodochijs & sacellis, quorum plurima tota Gallia partim à fundamentis erexit, partim collapsa reparauit. Neq; vero opes suas comparauit constantia ecclesiarum supellectile sacra vt olim Iulianus Apostata, & nuper isti principes Euãgelici, neque extraordinaria tributa plebi imponendo; sed patrimonium regale recte & prudenter disponedo & usitata solum priscis temporibus vectigalia percipiendo, eaque dispensando moderate. Deniq; religionem Catholicam ita colebat, & hæreticos ab Apostolica sede dñatos ita detestabatur, vt & ipse bella contra eos tanquam sanctissima & iustissima libenter susciperet, & debellatum Tolosatium principem non prius ad pacificandi conditiones vllas admitteret, quam is fideliter promitteret iuraretque se è ditione sua hæreticos quoscunque *nulla habita ratione sanguinis aut necessitudinis* exterminaturum. Hæc inter alia D. Ludouicus Borboniæ domus & nobilitatis sator; posteris suis reliquit suæ cognationis & nobilitatis insignia, & his virtutibus se maxime nobilitatum rex ille præstantissimus arbitrabatur. Has virtutes ab eo traduxerunt illius ad hanc vsque ætatem posteris. Hæ virtutes in Roberto S. Ludouici filio Comite Claromontano, in nepote Ludouico primo Duce Borbonio, & reliquis deinceps successoribus emicuerunt; & eisdem præclarissimis virtutibus illustrissimus Cardinalis & Christianissimus rex Carolus Borbonius hodierno die verissimus Sancti Ludouici & quoad sanguinis, & quoad pietatis, & quoad sceptri, & diadematis Gallicani successionem hæres suis gentilibus

Supra pag.  
370.



tilibus tanquam clarissimum sydus minoribus stellis præluet. His virtutibus quicumque caret, & contrarijs hæresis, rebellionis, perfidiæ, antiquissimarum Galliarum & Sancti Ludouici legum contemnendarum vitijs inficitur, non minus stupide se iactat nobilem Borbonium, & D. Ludouici eiusque filij Roberti agnatum, quam Iudas vocet se Apostolum Christi, aut Turca vel Sarcenus infidelis appellet se filium Abrahamæ, ex cuius semine non minus quam iste ex sanctissimi Ludouici stirpe est oriundus. Hoc ergo cogitent, hoc animo versent, hoc serio meditentur omnes illi honoratissimi tam sancti regis posterit: & quo sunt regio stemmati & nomini propiores, quo magis sunt populo & reipublicæ Gallicanæ deuincti, eo sincerius regi verò contra ecclesiæ, reipublice & religionis hostes opem ferant, ad eum liberandum sanguini suo ne parcant, liberatum consilio iuuent & ad excindendam hanc hæresis Hydram suas vires omnes communicent, sicque regalem Borboniorum sanguinem à fœdissimo contagio & veneno quo per hos hæresiarchas & adulterinos Borbonios aspersus est, egregijs iustitiæ, fortitudinis, constantiæ, & Christianæ pietatis actionibus vindicent. Et cum in annalibus regnorum eximia cum voluptate aduertunt ex Borboniorum domo & radice effloruisse plurimos principum & regum in Europa familias, cum hac stirpe vepote gloriosissima, & à tam admirabili Sancto trahente originem, se coniugasse Flandriæ, Hannoniæ, & Brabantiarum principes, Duces Gueldriæ, Lotharingiæ, Sabaudiarum, Bauariæ, Britanniarum, Lucemburgi, reges Nauarræ, reges Aragoniæ, reges Castiliæ, Cypri, Hierusalem, Siciliæ, Bohemiæ, & sæpe inuero reges Franciæ, ex hac familia emeruisse doctissimos

*Palfors.*  
*m. Annal.*

*Borbonia*  
*domus*  
*olim clarissima.*

atque



atque integerrimos Archiepiscopos & Cardinales, ex hoc genere tanquam ex equo Troiano exiisse fortissimos Duces, Admirarios, Conestablios, magnos Gallie Magistros, clarissimos & optimos militiae imperatores, quorum in Gallia contra Anglos & Burgundos, in Italia Mediolani & Neapoli contra Italos Germanos & Hispanos res gestae omnium historicorum monumentis celebrantur; tum vna meminerint ex illis omnibus neminem fuisse hereticum, neminem Caluinista, nemine qui non in Ecclesiae Catholicae vnione & Christianorum omnium comunione Catholice vixit & Catholice expirauit.

Quodq; de faeminis domus Borboniae a primo eius ortu obseruant historici (& est quidem honorifica memoria & obseruatione dignum) *difficiliter etiam antiquitus reperiri sanctiores faeminis quam quas produxit familia Borbonia, e quibus plurima se vouerunt Deo, & Magistra fuerunt religionis atque pietatis in adibus virginum sanctarum, inter quas effulserunt non aliter quam Sol inter sidera, idque eo tempore quo seculum hoc corruptissimum suis impurae vitae tenebris Galliam obscurauit: id ipsum in viros ad hanc vsque aetatem non minus vere accommodari poterat. Si enim a Ludouico Claramontano primo Borboniae Duce quem propter illustria facta Magnum cognominarunt, ordinata successione ad Navarrae patrem Antonium, vel vltimum Monpeseij Ducem Ludouicum descendis, nusquam opinor plures reperies principes & laicos & ecclesiasticos eosque excellentibus Christianae pietatis operibus perillustres, quam haec familia potest enumerare.*

*Belfareff  
Annal. lib.  
2. cap. 25.*

*Surnomme  
le Grand.*

4. Et tamen hac ex parte familiae Guisanae heroicum genus illis exaequare vel etiam anteferre non dubitem, quod nomen suum ab hac Antichristiana Apostasia seruauerunt purius & incorruptius. Neq; hoc

4.



hoc ipsos Borbonios moleste laturos arbitror: vetustissimum certe illum, S. Ludouicum hoc idem præiudicata sententia iam olim pronuntiasse scio. Neque vero ad laudem Borboniorum gloriosius est quod de eorum pietate superioribus temporibus historiæ annotarunt, quam ad Guisiorum gloriam aque magnificum est quod nostra memoria de eorū auo Claudio ijdem historiæ non minus fideliter cōmemorant, quū ist: Euangelismus iam in herba esset, contractoq; hæreticorū vatro exercitu è Germania in Galliã irrūpere niteretur & in regni finibus ab vitatis sacrilegijs confingendi imagines demoliendi altaria, evertendi ecclesiã, occidendi presbyteros inciperet, tum Ducem Guisium Capaniæ & Burgundię gubernatorē, coniunctis prouinciarū illarū præsidijs cū fratre Antonio Duce Lotharingiæ, hæreticos illos quāquā Catholicis seculo plures viriliter inuasisse, & eorum plusquam decem millia trucidasse, paucissimis è Catholicorum militum numero desideratis: atque ita eo primo tempore hæresim à Galliã ingredienda repellisse, eamque ita stirpitus excidisse, vt nec in confingendis radicibus agere permitteret. Quo factō inquit historiæ domus Guisia videtur iecisse fundamenta defendendi ecclesiã Catholicam contra furorem hæreticorum, in quo constanter ad hunc vsque diem perseverauit. A quo tempore nemo eius propaginis vel vnus hæreticus fuit, aut hæreticis magis magisque pullulantibus fauit: nemo qui ab ecclesiã defensione opem suam subtrixit, singuli in Catholica fide ad extremum vitæ spiritum constantissime manserunt. Pro hac fide filius eius Franciscus in cruento Dreusiorum bello fortissime dimicauit, & prostratas regis sui & simul Catholice fidei partes inuicta corporis atque animi magnitudine erexit & instaurauit, & præpropo-

*Claudius  
Dux Guis-  
ius.*

*Six pour  
un.*

*Helfort  
lib. 6. cap.  
37.*

*Guisia do-  
mus ab hæ-  
reticis contra-  
sto puer.*

*Franciscus  
Henricus  
Guisius pa-  
tor.*



præpropero cladis acceptæ nuncio deiectos regis, procerum, populique Catholici animos, inexpectata victoriæ fama opportunè superueniente refecit, & singulari iucunditate perfudit. Idem solita sua prudentia & virtute reliquias belli persecutus, capita infidelitatis Hugonoticæ Aurelijs obsedit, atque ita in arctum eorum coëgit copias, vt nisi aliqua ratione per fas aut nefas Dux Guisus è medio tolleretur, Calvinistæ putarint non tam de paucis rebellibus & ducibus Calvinianis, quam de ipso Calvinismo in Gallia conclamatum esse. Ideoque non magis Admiralijs supremi Calvinistarum ducis aureis, quàm Bezæ summi eorum Pontificis persuasionibus inductus est execrabilis Pultratus, vt Ducem illum vulnere reipub. Gallicanæ, Christianeque & Ecclesiæ & religioni Catholicæ luctuosissimo obruncaret, vel potius è vita hac mortali ad immortalem gloriam transferret. Qui enim ab impurissimis hæreticis sacrosanctæ fidei hostibus pro eadem fide interfectus, tanta patientiâ & equitate animi ex hac vita decessit, cum ego nunquam dubitabo Martyribus Christi annumerare, & ab hac caduca & terrena habitatione sublatum Diuorum sociatari ascribere. Nec alter eiusdem filius Claudius Däumalius fratri huic in Catholica fide acerrimo studio propaganda quicquam concessit. Qui postquam omnibus bellis contra hæreticos vita sua gestis, Dreusorum, S. Dionisij, Iarnacensi, Mongoturano, summa cum laude & præstantis fortitudinis gloria interfuisset, multasque ciuitates ex hæreticorum manibus eripuisset, ad extremum in obsidione Rochellensi contra rebelles & hæreticos pro regno & religione est occisus. Vt autem reliqui fratres nihil se quicquam ab aui virtute degenerasse bellicis rebus tota vita probarunt, ita Carolus Car-

*Dux Däumalius.*



*Cardinal.  
Lotharingus.*

dinalis Lotharingus rebus pacis & rogæ, legationibus ad Imperatorem regēque susceptis, fœderibus inter eos faciendis, ordinanda Ecclesia, lumine ingenij prudentiæque suæ, in particularibus Gallie synodis, in Concilio generali Tridentino, in alijs magnis & arduis negotijs demonstrando, dignum tali patre filium, dignum talibus fratribus fratrem, dignum & inuictum se Gallicanæ Ecclesiæ columnam, & peritum in illis turbulentis tempestatibus rectorē præstitit. Et quantum ille Marte, tantum hic Minerva, quantum illi fortiter præliando, tantum iste solerter consulendo, quantum illi duces & præfecti castrenses robore viribusque, tantum multoque magis iste episcopus & dux Ecclesiasticus disciplina, sanctitate, ingenio, consilio, Ecclesiæ libertatem sustinuit, & pacem fouit, & hæreticorum conatus dissipauit, heresisque immanitatem & effrænatum impetum valde repressit & imminuit.

*Henricus  
Dux Gui-  
suis.*

*Anno  
1568.*

*Loys de  
con. uelle.*

Nam de nepotibus eius superfluum est verba facere, qui etsi quàm plurimis ijsque valde cruentis & admodum periculosis bellis interfuerint: tamen eorum nullum extitit, quod non est potissimum pro Christo fidēque Catholica contra æternos eius hostes Turcas vel Calvinistas laudatissime susceptum & confectum. Quid enim à multis sæculis vidit Gallia pertinacius oppugnatam quàm ciuitatem Pictauiensem, quam Catilina ille Colignius tot septimanis continuo nocte dieque tormentis muros verberans, phalanges audacissimorum legionum per ruinas murorum immittens, omnem circumquaque comitatum diligentissime interceptans, tanquam fastigium & Coronam regni sui (vix appellabat) Guiennensis flagranti desiderio appetebat. Et quæ historiæ tacet Henrici Ducis Guisij vix tum pubertatis annos egressi prudentiæ præ-



providentiam, animum terrore vacuum, in pericu-  
 lis alacritatem, in vigilijs & laboribus patientiam,  
 in militibus solandis humanitatem, per diuturnam  
 non magis cum Admiralio & Calvinistis quàm  
 cum fame & rerum omnium necessitate pugnam,  
 aliasque divinas virtutes in ea iuventa planè incre-  
 dibiles, nisi eas historici communes etiam Prote-  
 stantici non tacerent, & multi tum præsentis & o-  
 culati spectatores rerum illic honoratissimè gesta-  
 rum testes accederent. <sup>Populæ.</sup> Quid ego alia eius facta  
 contra hæreticos Gallos, expeditiones contra hæ-  
 reticos Germanos, contra utrosque stata prælia  
 ad Iarnacum, ad Mongunturum, in Burgundia, in  
 alijs Gallia locis perentem, quæ multò luculen-  
 tius vulnera aduerso corpore facieque suscepta  
 declararunt quàm vllæ oratorum linguæ aut histo-  
 ricorum calami? Quid postremam illam planè ad-  
 micandam expeditionem qua fortasse à mille annis  
 memorabilior facta non est, qua Dux ille familia <sup>Anno</sup>  
 sua paucis quasi domesticis amicis comitatus, <sup>1587.</sup> op-  
 pugnavit & foris hostiliter ab immenso illo Ger-  
 manorum & Gallicorum Hugonotarum grege,  
 & domi insidiosè eoque periculosius ab illo Dei &  
 hominum odio Hærico Valesio execrabilis me-  
 moriæ rege, & in suis ipsius castris cum vis belli in-  
 grueret à permultis derelictus quos tyrannus ille  
 ad eum prodendum & cum suis omnibus occi-  
 dione occidendam (vt paulò ante nobilissimum  
 Ducem Ioëuse) subornauerat, & postea in ipso  
 belli committendi articulo auocauerat: in his  
 tamen omnibus difficultatibus atque angustijs,  
 & regis illius insidias singulari prudentia cauit,  
 & cum suis exiguis copiis vastum illum Hugo-  
 notarum exercitum incredibili fortitudine & sa-  
 gacitate fudit & cecidit, eo factum omnium in



Gallica Catholicorum salutem, totius huius Imperij incolumitatem, totius Ecclesie Gallicane vitam, fidem, & religionem, quam inuecto Caluinismo & Nauarreo rege Gallis imposito illi externi exercitus & domestice proditiones immutare atque tollere constituerant, firmavit & constabiliuit. Et tamen

*Mors Cardinalis & Ducis Guisij Gallie quam salutaris.*

qui tota vita sua reipub. Gallicane adeo fuit necessarius vt sine eo reipub. & Ecclesia regre vivere posse putaretur, is morte sua omnia prioris vitæ quamuis gloriosissime peractæ clarissima facinora inexplicabili maiorum bonorum accessione longe superauit. Eius enim mors fratrisque Cardinalis Guisij excitauit Gallos regis sui hypocriti simulatæque deuotione defixos & obstupefactos, proptereaque nihil de periculo aliquo ipsis vicino laborantes, vt deinceps impias, illius molitiones ad regni Ecclesieque excidium intentas solentius aduerterent. Eius mors peperit nobilissimarum totius Gallie ciuitatum & prouinciarum confœderationem, de qua prius permultæ nisi grauiter & permolestè inaudire volebant: huius autem morte quasi nouo diuinitus spiritu animatæ certatim amplectebantur. Eius mors diuina prouidentia ita disponens, vera & primaria fuit causa cur ille Gallicanæ & reipub. & Ecclesie, & omnis honestatis, omniumque bonorum cancer & pestes Henricus Valeus, qui omnes Gallie ordines, ciuitates, prouincias, Ecclesias, monasteria virorum & virginum, improbitate & Atheismo suo tuncquam occulto quodam toxico corrupit & infecit, cuius vita mors futura erat Gallicanæ reipub. & ex cuius propterea morte longissima adhuc vita huic florenti regno sperari poterit, per illud singulare Dei organum è mundo tolleretur. Atque hac eadem ratione, Henrici Ducis Guisij vt vita & presentia nobilissimam ciuitatem Parisien-

*Jacobus Ciceronius*

Parisen-



Parisiensem militum prædationi & spoliationi de-  
 stinatum superiori anno ex faucibus immanis ty-  
 ranni suorumque famelicorum luporum eripuit: ita  
 hoc tempore cum terribilius tyrannus idem illi ci-  
 uitati immineret, & Parisiensium sanguine suam im-  
 mensam sitim, & Parisiensium ciuium bonis sua-  
 rum hirudinum ingluuiem exatorare statuisset,  
 huius Henrici mors ciuitatem illam secundo con-  
 seruauit, & tyranno tyrannicisque eius ministris  
 vltimam de ea potiunda desperationem attulit.  
 Denique Henrici Ducis & Ludouici Cardinalis  
 Guisij mors effecit vt præter ciuitates & prouincias  
 Galliæ, exterorum etiam principum Italiæ, Hispa-  
 niæ, Germaniæ animi multò quàm ante acrius &  
 intentius ad Gallia salutem excubent & incum-  
 bant. Ita quod Christus de seipso suisque marty-  
 ribus prædicat *granum frumenti postquam in terram ca-*  
*dens mortuum fuerit, longè maiorem quàm priùs fructum*  
*allaturum*: id in istis nobilissimis martyribus verum  
 esse tota Gallia experitur. Neque verò mihi aut  
 cuiquam Christiano dubium est, quin nunc quo-  
 que eorum vt charitas in Deo est multò maior, ita  
 charitas eorum erga Ecclesiam Gallicanam multò  
 est auctior: & quantò eorum gloria in cælis est am-  
 plior, tantò eorum virtus hostibus Ecclesiæ est for-  
 midolosior. Hi enim sunt *duæ oliuæ, & duo candela-*  
*bra, in conspectu Domini stantes, quibus si quis blasphe-*  
*mando, & eorum sanctissimis actionibus maledicè*  
*detrahendo nocere voluerit, ignis exiet ab illis & istius-*  
*modi inimicos deuorabit.* Et si in veteri Testamento  
 ad consolandum Iudam Machabæum istiusmodi  
 proflus bella cum Machabeo nostro Carolo May-  
 ennensi contra diuinæ legis præuaricatores & Apo-  
 stas gerentem apparuit *Onias summus sacerdos vir bo-*  
*nus & benignus, manus coram Dei tribunali protendens,*

Anna  
1588.Ioan. 12.  
24.Apocal.  
11.4.2. Mach.  
15.12.



& orans pro omni populo Iudaorum: quis dubitet quin  
 Ludovicus Cardinalis, vir bonus & benignus, & sum-  
 mus Gallorum sacerdos idem ipsum nunc in statu  
 Testamenti noui officium apud Deum multò ple-  
 nius & efficacius exequitur, cum reliquis illis  
 gloriosissimis Ecclesiæ Gallicanæ Apostolis & mar-  
 tyribus, Dionysio, Eleutherio, Photino, Nier-  
 sio, Eutropio &c. qui eandem Ecclesiam suis la-  
 boribus & sanguine fundauerunt, quam isti à mul-  
 tis hæreticis & falsis Catholicis impugnata at-  
 que concussa, suis plurimis periculis & ad ex-  
 tremum felici morte labentem sustinuerunt: &  
 in medio cursu rerum pulcherrimè gerendarum  
 periculis nunquam priùs à condito (vt opinor)  
 mundo auditis interfecti, fratri Carolo finem &  
 tanquam fastigium operibus à se inchoatis & bo-  
 na ex parte perfectis imponendum reliquerunt. De  
 quo principe illud vnum mihi satis superque et  
 dixisse, eum propter zelum, & pietatem, & fortitu-  
 tudinem bellicam, vitamque à prima infantia in  
 bellicis expeditionibus consumptam, germanum  
 esse Guisij fratrem, & fratrem magno illi Gualtero  
 heroica mentis altitudine & generositate simili-  
 mum, cuius etiam iuuenis multa clarissima facta  
 quid ab eo viro expectandum erat egregio dede-  
 runt indicia, qui in Guienna omnia hæreticorum  
 præsidia, arces, vrbes flumini Charento impositas,  
 omniâque vicina propugnacula ad ipsa vsque Ro-  
 chellæ mœnia tanta felicitate & celeritate occu-  
 pauit, regique Galliarum subiecit, vt ipsi Calui-  
 nistæ duces eius virtutem obstupuerint. Nec mi-  
 nori felicitate biennio post multas Delphinatus  
 vrbes iisdem rebellibus detraxit & Coronæ Galli-  
 canæ subiunxit. Sexenniôque post longè plenior-  
 tem de hæreticis omnibus victoriam reportasset,

Carolus  
 Dux Mai-  
 quensis.

Anno  
 1577.

Anno  
 1579.

Anno  
 1585.

tum



tum quum generalibus bonorum votis Catholici in Guiennam exercitus dux electus est, nisi regalis ille Simon Valesius suis mirificis fraudibus & *Blesensibus* periurijs pulcherrima eius incapta corrupisset. Et quid aliud ab eo expectandum erat, vel quomodo ille iam ætate maturiore Calvinistas & Catholicæ fidei regnique Gallicani hostes infestissimos in Gallix visceribus ferre potuit, qui multo adolescentior contra Turcas eiusdem fidei hostes minus graues, & regno Gallicano non admodum nocentes, suas vires cum alijs Europæ Christianæ principibus iunxit, & in ea sacrata contra Turcas militia prima ætatis suæ militaris tyrocinia & rudimenta posuit. Siquidem vt illorum alter Henricus cum Turca Hungariam inuaderet, egregiam Catholicorum Gallix Nobilium manum contraxit, & cum ijs ad Maximilianum Imperatorem in Hungariam profectus est, ibique Christianis contra Turcas fortem fidelemque operam impendit: ita quinquennio post cum Pontifex, Hispani, & Veneti contra eisdem Christiani nominis hostes maximos terra marique, sed mari potissimum facerent apparatus, alter iste Carolus aliquot fortissimas Francorum Catholicorum (nam Calvinistam aliquem contra Turcam bellare pugnat cum Caluini Euangelio: & iuxta veterem parœmiam canis caninum non est, nec lupo lupinum) turmas colligens, Venetias contendit, quem Senatus Venetus honorificè excepit, & omnibus militum voluntariorum cohortibus qui ex Christiano orbe ad eam expeditionem magno numero consuebant præfecit, quod munus honorificè gessit & impleuit ad extremum vsque diem, quo plenam de inimicis illis fidei hostibus victoriã Christiani sunt a-

Bbb 4 deprim

Anno  
1567.  
Histoire de  
M. Pig.  
lib. 6. cap.  
25. &  
La Val.

Anno  
1572.  
La Val  
lib. 19.  
Poplin.



depti. Neque postea in Galliam reuersus vnquam otiosus sed semper negotiosus, in castris, in puluere, in sudore, in vrbiū obsidionibus & expugnationibus, contra iuratos Gallix & Ecclesix hostes ætatem omnem contriuit, vt ex omnibus Gallix principibus quorum permulti magnis prouincijs administrandis sunt idonei, hic vnus omnium iudicio electus sit, in quem resp. Gallicana hoc periculossimo tempore recumberet, & in cuius manu suprema huius amplissimi regni procuratio fuerit iure meritoque collocata. Adeo vt quum huius tam generose sobolis indolem, probitatem, fortia facta, excelsos spiritus, ardentem religionis zelum, destinata, deuota, & contumpta in arduis Christiane Nobilitatis pro Deo, Ecclesia, & repub. officijs & actionibus corpora, mentes, opes, facultates intruor; vnaque antiquissimorum Francorum Caroli magni eiusque patris Pipini, & aui Martelli similes actiones & animos ad memoriam reuocorum hoc illorum veros filios posterosque, illarum arborum certa germina & stirpes agnosco, non tam ex hominum Chronologorum longis prosapijs & arboribus genealogicis multo labore contextis, quam ex hac pari animorum & studiorum similitudine, ex hoc genuino erga Christi religionem zelo, ex hac naturali & gemina eiusdem quasi sanguinis & spiritus ad Christi gloriam tuendam Ecclesiamque protegendam cognatione & necessitudine.

Supra fol.  
380.

387. 390.

Neque certè illi molestius tulerunt Arianos suam tempestate in Gasconia vagantes, quam isti horrent Calvinistas eandem Gallix regionem hoc tempore depascentes. Neque maiore aut meliore animo Carolus ille Pyrenæos transgressus est ad domandos in Hispania Saracenos quam isti in Hungariam & mare Mediterraneum profecti sunt, vt

sub



sub Christianis regibus & Imperatoribus primitias militiæ & iuuentutis suæ Deo consecrarent ad Ecclesiæ illius hostes Turcas pro sua virili debilitandos.

§. Cæterum quoniam illustrissimam huius familiaris sobolem in quascunque Galliæ partes dispersam non opus est oratione mea admonere vt officij sui erga Christum & Ecclesiam sint memores, quando ipsorum nobilissimis actionibus constat eos omnes & singulos mentes cogitationesque suas desigere in Ecclesiæ & reipub. salutem: neque alius quicquam est aut esse potest in Gallia nobilis sincerè Catholicus qui in hoc adeo grandi & euideti proximeque imminente periculo velit operam suam ab aliorum Catholicorum consociatione disiungere: idcirco ad alios potius tepidos Catholicos à graui somno excitandos conuertenda est oratio mea, quorū plurimi iam nunc in Nauarræ castris militant: qui etiam Catholicos sese fingant & appellent, tamen cum hæreticis iam diu conspirant contra Catholicos, hæreticorum causam adiuuant, hæreticorum vires augent, in tota Gallia singulisq. Galliæ provinciis, & extra Galliam quoque in Sabaudia, & Archiepiscopatu Auinionensi, hæreticos eadem cum Catholicis libertate viuere, Magistratus gerere, templa suis cænis & concionibus hæreticis assignata tenere, & quoad iura omnia & prærogatiuas ciuiles & Ecclesiasticas, nihil Catholicis supra hæreticos tribui debere iam diu contenderunt. Hæc siquidem & alia huiusmodi communi cum hæreticis legatione à rege suo pro hæreticis postularunt, hæc ue maximo cū Galliæ fructu & tranquillitate fieri posse suarum virbium exemplis suadent, vbi Catholici cum hæreticis, famuli cum dominis, filij cum parentibus, viri cum vxoribus, sacerdotes cælibes cum monachis

§.

*Postulatio  
regu Nauarræ, Condés  
Danuileij,  
& Catholicorum vni  
torum, an.  
1375. in  
Popla. La-  
Val. & alijs*



*Police arve  
fsec anno  
1575.  
Poplin. li.  
39. fo. 246*

*Ad Catho-  
licos hare-  
tici unitos*

*Grande Ca-  
tholicorum  
peccatū, et  
hæreticū cō-  
sociari.*

chis conjugatis summa suavitate & charitate viue-  
re, nec propter diuisionem in fide, domesticæ dif-  
fensionis quicquam interuenire aiunt. Ipsique mi-  
litiæ suæ contra regem & Catholicos exercente  
talem præstitunt ordinem vt in castris Catholicorum  
cum Calvinistis vnitorum & Calvinistarum, vnusquisque  
turma militaris Catholica suã habeat sacerdotem qui Mis-  
sam pro Catholicis illi peragat, quãq; item turma Calui-  
starum suam habeat Ministrum vel Diaconum qui Calui-  
niano more concinetur. Adeo vt manifestum sit illos  
Catholicos unitos cum Calvinistis non solum quoad  
ciuilia, sed etiam quoad Ecclesiastica & spiritualia  
peramicè & fraternè viuere, qui non modo in vni-  
castris, sed in singulis eorundem castrorum par-  
tibus Missam Catholicorum cum cœna Caluianã  
& prædicationem Catholicam cum declamatione  
hæretica coniungunt & copulant, idque non tol-  
rando quia corrigere nõ possunt, sed probado quia  
has ipsi condiciones sibi imposuerunt & sponte sua  
hanc viuendi formam statuerunt. Et potestis o mor-  
talium omnium miserimi (fas enim mihi sit vos  
libere compellare qui Catholicorum nomine de-  
corati inceditis, & de quorum salute propter ipsum  
Catholici nomen plurimum confido) potestis sine  
horrore hanc Christi & Satanae copulationem ad-  
mittere, & tamen vos à Christo & Ecclesiæ eius, &  
Sanctorum omnium communionem per hanc schis-  
maticam vnionem exclusos non aduertere? Pote-  
stis Christianos catholicos vos ipsos dicere, & camõ-  
noscere Christianorum catholicorum patres, ipsos  
Christi Apostolos & Episcopos Ecclesiæ primitiuae  
hæc in vobis turpissimam societatem execrari? Ca-  
tholici haberi vultis, & Catholicam ecclesiam om-  
nibus ætatibus contra huiusmodi perfidos & adul-  
terinos Catholicos unitos cum hæreticis vociferantem



non auditis? Si Christiani catholici estis, credite Ap-  
 postolo Paulo nihil æquè ac huiusmodi fœdera tan-  
 quam planè diabolica obtupescenti: *Qua est enim* 1. cor. 6.  
*(siquit ille) conuentio Christi cum Belial? que participa-*  
*to iustitiæ cum iniquitate? que societas luci ad tenebras?*  
 Parere eidem Apostolo præcipienti vobis: *Nolite in-* ibid.  
*gum ducere cum infidelibus.* Si Christiani catholici estis  
 nunquam ferre potestis hæreticos in castris & Ec-  
 clesijs vestris Deum & Christum eius blasphemantes,  
 & contra diuina omnia ferarum instar vlulantes.  
 Neq; enim si Catholici estis, aliud vobis de cal-  
 uinistarum siue *Ministorum* siue *diaconorum* concio-  
 nibus & cantionibus persuaderi debet, ita iuxta scri-  
 pturas propheticas vos docente Catholico patre &  
 scripturarum interprete D. Hieron: *Hæretici (Cal-* Hieron. in  
*uinista) ve habent sempiternum inquit ille, quia recesserunt* Oseam c. 7  
*à Deo, & miseri sunt quia reliquerunt Deum creatore*  
*suum qui redemit eos sanguine suo. & ipsi loquuntur con-*  
*tra eum mendacia, impia falsitatis dogmata componentes.* Synagoga  
 & non clamant in cordibus suis, sed vlulant in conciliabu- Caluinista-  
 lis, qua pulchrè propheta appellat *ferarum lustra & cubilia.* rum sunt  
 Et ij quicquid loquuntur & putant se in laudem Dei dice- ferarum lu-  
 re, *vlulatus luporum & bacchorum insanientium sonitus*  
*est.* Et tamen hic luporum vlulatus & insanientium Bac-  
 chi ministrorum strepitus, in auribus vestris suauis-  
 simus est concentus, & istorum Apostatarum qui  
 Deum creatorem suum cuius sanguine redempti sunt relique-  
 runt, doctrinam non Gallia solùm sed extra Gal-  
 liam quoq; stabilire vestro labore atque opera mo-  
 limini. At si Catholici estis, credite optimo catho-  
 licæ Ecclesiæ Doctore D. Chrystost. vos monenti  
 idque ex Apostolo Paulo, nihil ita Deum irritare, Chryst. ad  
*sicut quum quis hæresis multiplicande & ecclesiæ diuidendæ* Eph. hō. 11.  
*causa est. Quod quum faciatis, etsi innumera bona*  
*operati fueritis, non minores penas dabit, quàm si corpus*  
*ipsius*



ipsius Christi gladijs vestris proscidissetis. Credite eidem probanti vestrum hoc factum flagitiosius esse crudelissimorum tyrannorum Neronis & Domitiani Ecclesiam persequentium immanitate. Hoc inquit ille damnum illo multo etiam maius est. Illud enim Ecclesia illustriorem fecit. Istud vero etiam apud inimicos & execros dedecore afficit, quando & à proprijs filijs impugnatur. Quātus enim est Catholicorum toto orbe Christiano dolor & pudor, quantus Caluinistarū in Gallia, in Flādria, in Anglia triūphus & gaudiū, quādo ducē Memorantiū & eius fœderatos Catholicos ecclesia Catholica cū damnatis hereticis Nauarr. & Navarritis impugnare perspiciunt, quando eos hereticis illis operam suam præstare vident, quō Athanasius ille Caluini etiam cum supremi Christianiorū Pontificis approbatione in eiusdem Pōtificis ditone floreat & prædicetur, quod perinde est acsi commendaretur toti Christiano orbi. Et tamen vos qui fidei Catholice toto orbe quantum in vobis est corruptores & vastatores estis, Catholicorum nomen inuaditis? aut putatis vllam vobis esse cum Ecclesia aut regno Christi participationem? At veniat vobis in mentem quod D. Cyprianus sanctissimus martyr ex scripturis diuinis contra vos concludit.

*Cypr. epist.  
76.*

*Num. 16.*

Præcipit (inquit ille) dominus per Moysen dicens, separa-  
mini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent ne simul pereatis in peccato eorum, & quod commatus per Moysen fuerat impleuit, vt quisquis se à Chore Dathan & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communionē persolueret vni ad inferos præcipitati. Quo exemplo ostenditur & prohibetur obnoxios omnes & culpe & pœne futuros, qui se schismaticis contra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint. Sic ille, quod quum verissimum sit, quæ falsa spe, quæ noua theologia vos ipsi lactare & trueri potestis

*Peccatum  
horum Ca.*



potestis ne hæc terribilis à Deo miserrimis illis in-  
 dicta vindicta vestris capitibus incidat, quando  
 peccatum vestrum illo Iudæorum schismate longe  
 est & manifestius & atrocius. Core enim & Dathan  
 quibus illi adhærebant, cum sacerdote Aaron & Moyse  
 eundem Deum nouerunt, pari lege & religione viuentes, &  
 verum Deum qui colendus atque inuocandus fuerat inuoca-  
 bant. At isti vestri Dathan & Core Nauaræus & Cō-  
 dæus, cum Christianorum sacerdote summo & Ecclē-  
 sia Catholica eundem Deum non norunt aut certè  
 cognitum abiecerunt, & pro Deo Christianorum  
 nouum à Caluino inuentum Deum adorant: pari  
 cum Christianis lege & religione non uiuant, verum Deum  
 qui inuocandus est non inuocant, sed potius Satanam in-  
 fetorum p̄m̄ ipem eius loco adorant. Core & Da-  
 than antiquitus nullam Iudæorum synagogam e-  
 uerterant, nullum nouum Ministerium contra Sa-  
 cerdotium Leuiticum erexerant, nihil in religione  
 Mosaica inuouarunt: at isti vestri Dathanes innu-  
 mera Christianorum templa disturbarunt, contra  
 Christianum sacerdotium nouum ministeriū Ge-  
 neuense vel Gehennense potius introduxerunt, o-  
 mnes partes & particulas fidei & religionis Catho-  
 licæ inueterunt, nec quicquam reliquerunt sanum  
 & integrum, proptereaque iustissima censura à su-  
 premo Christianorum Pontifice extra Christiano-  
 rum Ecclesiam proiecti ad Iudæorum & Turcarum  
 Synagogas amandati sunt. Neque hæc pastoris ve-  
 stri sententia vobis si viri estis latere, nec si Catho-  
 licis estis iniqua videri potest, quando eos perditissi-  
 mos, periuros & relapsos hæreticos esse optimè noui-  
 stis. Separamini igitur, separamini (quemadmodum  
 Deus ipse vos alloquitur) de medio congregationis il-  
 lius Calvinisticæ: recedite à tabernaculis & castris ho-  
 minum impiorum, nec putate illa Babylonica & Sa-  
 tanica

*thol. gra-  
 uis schis-  
 mate Core  
 & Dathā.*

*Cypr. ibi. 2.*

*Sup. c. 5.  
 §. 5.*

*Num. 19.*



tanica confusione sacrificij christianorum cum cœna Apostatarum, doctrinæ Apostolicæ cum blasphemis Calvinianis Deum posse placari. Separamini (inquam) & eorum cœtus & fœdera perhorrescite, ne peccatis eorum inuoluamini, vosque vna cum illis vini descendatis ad inferos. Exploratissimum habete hoc scelus vestrum tam esse atrox & nefarium, vt quamdiu, hoc modo erga hæreticos illis sitis affecti, nec sanguinis in martyrio à vobis pro Christo fusus quicquam vobis utilitatis afferat, quod & D. Chryostomus, & ante eum D. Cyprianus, & itaque Ecclesia primitiua firmissimè tenuit, a teo si ab inimicis Christiani nominis capti pro Christi nomine mortem oppeteretis, quamdiu tamen in hoc fœdere Ecclesiæ Catholicæ dilacerandæ cum hæreticis copulamini, nihil vobis illa mors prodesset, sed cum morte corporis mortem etiam animæ æternam adiretis. Tales enim si occisi in confessione nominis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordia & confederationis hæreticæ contra Catholicam Ecclesiā nec passione purgatur. Quam igitur uel tenuissimā de æterna vita spem potestis vos concipere, vos (inquam) qui huic nefandæ & Antichristianæ contra Ecclesiam coniurationi vires & vitam vestram addixistis, qui in hac schismatica conuentione iuratis viuere & mori, atq; ita ad Dei tribunal migrare, certissimam damnationis sententiam accepistis? Quare si serio Catholici estis, si non prorsus veneno caluinistico infatuati, si verè Deum iudicem & inferni ignes extimescitis, si creditis esse iudicij extremi tribunal vbi rationem de actionibus vestris estis reddituri, abrumpite vincula ista quibus ipsi vos implicuistis, & projicite à vobis istorum hæreticorum principum iugum in quod ipsi nimis turpi & seruili animo

Chrysof. v.  
bi supra.

Cypr. de v.  
nu. Eccles.

Psal. 2.



animo ceruices vestras inmisistis. Aduertite iudicio maturo & stabili quot sacerdotes, quot laici, quot virgines sacræ, quot pagi & vrbes iurisdictionis vestræ, à castitate, & fide, & Christo transferunt ad sacrilegas nuptias, ad perfidiam, ad Antichristum, ab eo tempore quo vos detestabile hoc foedus cum hæreticis illis percussistis. Aduertite quàm innumeri Delphinates & Languedocenses à calore fidei Catholicæ paulatim ad temporem fidei politicæ, & deinceps ad frigores infidelitatis Calvinisticæ defecerunt. Nolite vos Ecclesia Christi, Doctorib. antiquis, Christo Iesu & Spiritu sancto prudentiores ducere, aut putare in vobis situm esse naturam rerum inuertere, quam Deus posuit fixam & sempiternam: ideoq. non potestis requirere vt libertas fiat, inimicis hominibus in agro Ecclesiæ Gallicanæ superseminandi spinas atque zizania: nisi velitis vnà suffocari semen bonum. Quemadmodum enim potest quis in sinu suo circumferre colubrum vt non mordeatur? gestare ignem vt non vtatur aut picem vt non inquinetur? Quemadmodum potest quis in ouile immittere lupum sine detrimento ouium? aut quomodo potest ad mensam & lectum consuescere cum homine cancro aut peste correpto, vt nullam ab eo trahat contagionem? Hoc vero si possibile non est Deo ipso asserente, Spiritu sancto contestante, rerum natura prohibente, neque sanè possibile est quin vos vestra cū hæreticis turpissima pactione & fraterna ad corū hereses in Gallia stabiendæ atque augendas colligatione, Ecclesiæ Cathol. supra modum nocentis, diuinamque maiestatem & Christianum orbem infinite offendatis, quæ nunc vt olim miratur, & indignatur, & dolet Christianos Antichristianis assistere & prauaricatores fidei atq. ecclesiæ proditores, intra ipsa ecclesiæ septa contra ecclesiæ stare. Longè aliter Ioan. Euan-

Quauis cū  
hæreticis cō  
munio Chri  
stianus con  
taminat.

Mat. 13.

Ecclesiast.

10.

Ecclesiast.

12.

Ioan. 10.

Matt. 7.

2. Tim. 2.

Vide de hoc  
Iuse sup. ca.

7. 9. 6. 7. 8

Cypr. ep. 76



Euangelista, qui lauandi gratia balneum ingressus ubi audisset illic affuisse Cerinthum hæreticum, celeriter ex eo loco resiliit, seque proripuit foras, nec tantum illud subire sustinens, his vna verbis hortatus comites, fugiamus extemplo, ne balneum in quo Cherinthus venialis hostis moratur subito concidens nos opprimat. Omnium vel ciuilium vel naturalium homini cum homine vinculorum nullum est magis arctum & indissolubile quàm viri & uxoris, quod Deus in prima creatione strinxit, ciuiles leges omnium nationum firmarunt, Christus sacramento noui Testamenti addito colligauit fortius, & Ecclesia Christiana omnium temporum sola morte voluit penitus separari. Et tamen si vir hæreticus sit, & in auribus vxoris sue perpetuò blasphemias religionis Christi insonare voluerit, Ecclesia Catholica sic ab Apostolis & spiritu sancto edocta hunc nodum quamuis vinculis plusquam adamantinis obstrictum soluit, & alterum ab altero diiungit. Quanto magis est vobis ab hæc cum nequissimis hæreticis conspiratione recondendum quam Deus improbat, Christus detestatur, Ecclesia Catholica condemnat, leges ciuiles recondunt, omnes boni reprehendunt, vtpote quæ præter alia, incredibilem Christi blasphemiam continent. Neque enim aliud est doctrina Calviniana quam vos hoc fœdere in Ecclesijs diuisionis vestræ stabilitis, quàm moles quædam blasphemiarum ex omnibus fœdissimis sectis contra beatissimam Trinitatem, contra personas diuinas, contra Christum incarnatum & præcipuos symboli Apostolici articulos fideique Christianæ mysteria congeitarum, cuius comparatione Alcoranus Mahometis purum quodammodo Euangelium possit appellari? Et qui Calvinianum siue ministrum siue diaconum predicantem, contra Pontificem summum, monachos, Missam, sacramenta

Sup. c. 5.  
parag. 5. 7



etamenta Ecclesiæ, inuocationem Sanctorum & istiusmodi perbaccari verat, perinde facit ac si elinguem cum reddat & os obstruat ne verbum possit effari, quâdo necessariò talibus emblematis omnecorum conciones resperguntur, & ex hac materia vel omnino, vel saltim magna ex parte consistunt.

6 Verùm abeamus ab Ecclesia & religione Christi quàm certo certius immaniſſimis eius hostibus proditis, Vestram conditionem & statum contemplantini. Contemplantini autem non in fictis Caluinistarũ verbis & promissis quæ quanti ab illis fiat

Cap. 110

superius exposuimus, sed omnium finitimorum exemplis vbi hæreticus adulando Catholicis, vel ad regnum comparandũ viam sibi strauit, vel ad illud hæresi insciendũ Catholicorum opera abusus est.

Et si nusquã in Europã hæreticum Catholicis proceribus fidelem fuisse deprehenditis, si ea sit hæresis huius natura vt Caluinismus nobilitatem Catho-

licam quantilibet officiis sibi assentatem ferre non possit, quàm iusultum est suspicari hæresis huius a-

Mori nobilitatem Anglorum quæ regi hæretico contra Cath. fidem assentabatur.

liam esse in Gallia quàm in ceteris regnis naturam aut id vobis in Gallia præstandum arbitrari, quod

catholici Angli, quod Scoti, quod Flandri, quod ante oculos vestros Galli, & ij quoq. hæretici meliori-

bus quàm vos fundamentis nixi sibi promiserunt, & spe sua turpissimè tam æterna labe & contumelia exciderunt. In Anglia quis Henrico VIII. ad

Henricus 8

arripiendum Ecclesiæ pontificatam præcipuam operam impendit? Cardinalis Wolseius, quem pat-

Wolseius

id post tyrannus ille indignissimè vexatum, & bonis omnibus expoliatum, iniuriis, opprobriis, & contumeliis ad mortem adegit, qui moribundus sanctè

confessus est peccatum suum quòd regi nimium fuisset adulatus, illud præclare adiiciens, si Deo tam fide-

Sto. in Clav. Angli

liter quàm regi seruiſſet, in atate senili nunquam ita fuisse

se à

Ccc

se à



*Dux Nor-*  
*folcius.* se à Deo, ut tum à rege derelinquendū. Quis potest Wol-  
 seiū proximus erat in ea tragedia actor. Dux Nor-  
 folcius, potens ille quidem, & regi etiā contra Deū  
 tota vita fidelissimus, quem in tanta fidelitatis cō-  
 pensationem tyrannus ille fortunis omnibus exiit,  
 ipsum perpetuis mancipavit carceribus, filij am-  
 putavit caput, familiam totam penitus suo tempo-  
 re destruxit fundos & redditus eius vniuersos regio  
*Marchio*  
*Exoniensis* patrimonio adiungēs. Quis fuit ea tempestate Mar-  
 chione Exoniensi regis illius cōsobrino, vel repub.  
 vniuersæ chatior, vel rebus contra Catholicos pro  
 religione arma in regem sumentes fortiter gestis re-  
 gi ipsi fidelior. Et tamē quā repente nulla de cau-  
 sa illi quoque abscissum est caput, filio etiam eius  
 Comite Deuonienſi ad perpetuos carceres damna-  
 to! Sed quid ego singularia exempla percurro? quā-  
 do aliās ex communibus historiis annotavi sub illo  
*Supra fol.*  
*486.* primo Angliæ Euangelico rege principes viros permul-  
 tos supplicia ingenti cruciatu subisse, vsque eō vt Londō  
 pons non secus atque lamina, principum & procerum san-  
 guine rubesceret: vt friuolum sit vnum & alterum in-  
 gulatim numerare, quum in illo ponte nobiliū ca-  
 pita contis infixā, non aliter quā in macello oviū  
 & bouum capita, aceruatim proffarent. Neque suspic-  
 etur quis iustas aliquas fuisse hos nobilissimos vi-  
 ros interficiēdi causas. Filia enim Henrici illius  
*Eorum in-*  
*nocentia.* Maria lectissima regina quæ inter alios plerosque  
 horum duorum principum posteros, filium Mar-  
 chionis, & nepotem ducis Norfolcij pristinis hono-  
*Parlaman-*  
*tum an. 1.*  
*Maria.* ribus restituit, illud non prius concessit quā in ple-  
 no Parlamento, hoc est generali omnium regni or-  
 dinum assensu decretum fuisset eorum patres fuisse  
 à criminibus intentatis innocentes. Et notum est  
 parasitos aulicos qui contra illorum potentiam &  
 amplitudinē perpetuo regis auribus infusurabat.



non crimen aliquod legitime probatum mortem illorum procurasse. Hæc autem altera eius filia Elizabetha, quoniam à regni legitima successione ob plurima & particularia illius regni, & generalia totius Christiani orbis impedimenta, hæresim adulterinos natales, Parliamentorum statuta, regis patris & fratris sui eam vt spuriam repudiantis edicta excludebatur, adeo vt non iure sed gratia, non legibus reipub. Christianæ sed populari favore ad regium locum sibi necessario fuerit aspirandam, duos è tota Nobilitate ipsis nobilibus populoque gratiosissimos & suis quoque viribus potentissimos Comitum Arundelium eiusque generum ducem Norfolkium multis promissis, eorumque alterum etiam obiecta matrimonij spe in sui amorem pellicebat: omnibus autem aliis maximam & ferè certam præbebat fiduciam insignis lenitatis, clemētissimi imperij, & imprimis securæ conscientiarum libertatis Catholicis permittendæ, quanquam regina ipsa publicè Euangelium Luthero, Zuinglio, Calvinianū, varium nimiram & ex multorum hereticorum inuentis cōfectum pro suo nutu quæ supremum ecclesiæ Anglicanæ caput (vt prius patet) esse volebat, per illam Ecclesiā suā Anglicanā publicè personare voluerit. Unde & non ita pridē cōsiliarij eius libello summa cū autoritate vulgato asseruerūt. Neminē ab ipso maiestatis reginæ aditu in regnū, ob causā religionis fuisse mortuū: neminē reū factū ob volumina, ob libellos, ob precū formulas, ob Rom. ecclesiæ ceremonias, ob Pōtificiū Monarchiā. Sed siue quis sit scholasticus, siue seminaris, siue sacerdos, siue Iesuita, siue Pōtificus, hoc totū in Anglia nihil cuiquam obesse. Harū autē promissionū & blandimentorū effectus si quis scire desiderat, contueatur vt sub patris sic sub filix regno hodierno Pontem Londinē semper enumeret virorum bonorum illiē affixorum capi-

*Elizabe.*

*Sup. pag. 224. 225*

*Nota horribiliter impudentiam*

*Executio iustitia Britanice pag. 22. 23. 63. 68.*

*Vide respō. ad persecutorcs. Anglos pagin. 232. 233. 234.*





ta, inquirat quas ob causas illi ita caesi & in partes concili fuerint: percontetur an non hæc filia suum illum patrem *lanienâ principum & procerum & sacerdotum* ad viuum referat, & quoad per multa superet etiam: ediscat an non illa *lania Nobilium & sacerdotum* quæ tum Londini vel solum vel potissimū exercebatur, nunc per totum regnum sit diffusa, no-  
 uis carceribus quia veteres non sufficiebant in vno-  
 quoq. regni Comitatu ad Catholicos includendos  
 extructis, & patibulis nouis ad eos *laniados* erectis:  
 reducat ad memoriâ vim quandam nouarum le-  
 gum ab ista filia positarum, per quas & gratissima  
 mysteria, & leuissimæ quædam Christianæ religio-  
 nis cæremoniæ catholicis crudelissimam & exquisi-  
 tam afferunt mortem: vbi Catholicum quemcun-  
 que quocunque genere & nobilitate, esse *Iesuitam,*  
 vel *Diaconum,* vel *Sacerdotem,* vel *Episcopum,* hoc ipsi  
 est esse proditorem, esse perduellem, esse *Maiestatu*  
*lase reum,* iustamque causam præbet vt quis acerbis-  
 sima tormenta perduellibus constituta sufferat.  
 Neque magni illi Heroes qui Serenum cantibus  
 deliniti hæretici principi & simul hæresi ad regnū  
 illud deuastandum opem tulerunt, debita mercede  
 ab ipsis hæreticis persoluta caruerunt

Sup. pag.  
227. 228

Comes A.  
Arundelii

Primus enim & ætate rerūque experientia aliis antecellens, & antiquissimæ apud Anglos Nobilitatis  
 Comes Arundelius, vbi per diu spem callidè obla-  
 tam regalis confubij conceperat, quam item de  
 industria accendebant quidam veteratores aulici  
 qui nouo hæresis regno confirmando, viri eius gra-  
 tiam videbant admodum necessariam: ad extrin-  
 eam hæresi quam cupiebat potentiâ affecuta, planè  
 negligi & contemni cepit. Quapropter videns spes  
 suas deseruiscere, aliosq. in ea esse gratia quam ipse  
 aucupabatur, quū iam ab ipsis hæreticis & tacite &  
 aperte



apertè rideretur, quasi ingrauescenti ætate vir dispa-  
 ri coniugio iuuenulam deperiret, serò suæ inspic-  
 tiæ pœnitens, ne oculis videret vel etiam auditione  
 acciperet ea quæ ipsi erant molestissima, decessit ex  
 Aula, & mox Insula, temporisque fallèdi gratia diu  
 per Flandriam, Germaniam, Italiamq. peregrinatus  
 est. tandem reuersus domum, perpetuo quodam an-  
 gore conscientie cōfectus quòd ita ab hæreticis cir-  
 cunuentus causam Christi prodidisset, seque ipsam  
 hæreticis obiecisset illudendum, à Catholicis hære-  
 ticisque leuiter æstimatus migravit è vita. Ducem  
 verò Norfolkium quamuis quoad fidem cum tẽm-  
 pore mutatus, vel omnino vel certe maiori ex parte  
 hæreticus & haberetur & esset, tamen quòd Reginæ  
 Scotorũ iniustissimæ vexationi indoleret, nec Mor-  
 tono rebellibusque Scotis tam esset contra reginam  
 illam beneuolus quàm Calvinistæ Angli volebant,  
 confictis impudenter criminibus quasi Papista ef-  
 set cum Pontifice Romano contra Reginam con-  
 spiraret, perduellionis damnatum sustulerunt è vi-  
 ta. Communemque vtriusque filium, alterius na-  
 tura, alterius adoptione. Comitem Arundelium  
 qui hodierno die vixit quidem quanquam miserri-  
 me in ergastulo Turris Londinensis, & ad mortem  
 damnatus, etiamsi nihil nec factu nec dicto regi-  
 nam reginæve leges offenderat: tamen quasi in-  
 grauiorem patris vltionem, eum quoque quòd con-  
 scientiam suam infectere non posset ad reginæ &  
 Aulicorum Religionem, aliquotiam annis in car-  
 ceribus detinent vexatum, oppressum, spoliatum  
 facultatibus, distractum à charissima coniuge, in  
 continua quotidiana mortis expectatione, quum  
 præter intrinsecam conscientie persuasionem, nul-  
 lam eius contra reginam eiusque domesticos aut  
 regnum, vel leuissimam offensæ qualiscunque vm-  
 bram

*Alter dux  
Norfolcius*

*Buchan.  
hist. Scot.  
lib. 2. c. 2.*

*Alter Co-  
mes Arundelii.*



*Comes Nor-  
thumbrius*

bram aduersarij maximè malitiosi possent commi-  
nisci. Ad quem nouis terroribus exanimandum  
illud accessit facinus & formidabile & atrox, quòd  
in ipso eius iniustissimæ captiuitatis initio quum  
iam primùm nouus hospes Turri fuisset mancipa-  
tus, Comitem Northumbrium externa professio-  
ne manifestè hæreticum, nec quicquam Catholici  
præ se ferentem, quia tamen occultè Catholicæ fi-  
dei fauere putabatur, nec ad probandas & fouendas  
Caluinistarum illorum in Flandria, Gallia, Scotia-  
que furiosas rebelliones & sanguinarias domi vici-  
orum bonorū mactationes tam præceps erat quàm  
illi cupiebant, eadem Turri inclusum submisso no-  
cto percussore barbarè trucidarunt: quamuis nihil  
obijcere possent quare vel per ipsorū leges vel ma-  
ximè sanguinarias & Draconianas morte multata-

*Hist. men-  
dax de mor-  
te Comitis  
Northum-  
bricæ.*

retur. Et postea ad duplicandam iniuriam, ipsum  
sibi manus nefariè intulisse in vulgus emisit,  
ctiāsi historia de morte eius ab ipsis ædita illud hor-  
ribile mendacium euidenter redarguat. Alios autè  
nobiles qui quantulacumq. suspiciuncula catholica  
fidei bene velle deprehenduntur, miserabiliter affli-  
gi vel infami morte, vel perpetuis ergastulis, & ere-  
ptis bonis omnibus (nisi repentino exilio tua spon-  
te suscepto eorum carnifices & emillarios præocu-  
pauerint) nec in hoc genere vel vxoribus nobilium,  
vel viduis, vel pueris, vel puellis parci, quid opus est  
singulatim explicare quando omnes Europæ totius  
prouinciæ Catholicæ talium exulantium multitu-  
dine refertæ huius rei oculatæ sint testes; & eorum  
nouæ leges singulis propè annis aliqua noua crude-  
litate recessione locupletatæ & contra Catholi-  
cos ædita, in qua tyrannide amplificanda à primo  
huius reginæ anno vsque ad hodiernum diem pro-  
gressi sunt, demonstrant eos nullum velle statuere  
barbæ

*Parlamen-  
an. regni  
Elizabethæ  
27. & 29.*



barbarie & feriatu suæ modum aut finem, donec omnes Catholicae fidei & nobilitatis fibras euellerint. Et illa penè incredibilis Gallorum & Scotorum regina, absolutæ principis, nullam aliâ ob causam (quicquid aduertarij eius hæretico ore & fronte mentiuntur) nisi quod Catholica princeps erat, & regni illius more, ipsorum hæreticorum conscientia proxima Angliæ hæres, illa inquam plusquam Turcica & Tartarica tantæ principis interfectio Geometricè conuincit eos neminem Catholicum nobilem subditum suû passuros viuere quem multis legum suarum nodis & laqueis possunt cõstringere, qui reginæ à legibus eorum liberæ & solutæ, hospitaliter ab eis inuitatæ, post decem & nouem annorum diram captiuitatem eam tantum ob causam quod Catholica esset vitam indignissimè eripuerunt.

7. Nec in Scotia meliores habuerunt successus viri nobiles qui ridicula specie libertatem recuperandi quæ nunquam illis perierat, & Gallicana perfidia ex insula depellendi, cum hæreticis Anglis se iunxerunt & hæresi vnâ irumpenti viam aperuerunt. A quo tempore quis enumerare potest quot ex præcipuis familijs, Hamiltonijs, Hûtlæis, Ducibus, Comitibus, Archiepiscopis, in tamultuarijs prælijs cæsi, in suis domibus interfecti, falsi iudicij specie ad mortem tracti, in Gallia Daniâmq. & Flandriam fugati, varias Europæ regiones tragicis Scoticae nobilitatis per euangelij ministros circũuentæ & vastatae historijs repleuerunt! Quid ego memorè ipsum regem horribile mortis genere, partim suspendio, partim incendio extinctum? Quid Archiepiscopo Hamiltonio barbara immanitate, fractâ laqueo gulâ? Quid, in vnico cõflicto nobiles hamiltonij nominis septedecim trucidatos? Quid in varijs Iacobi Bastardi Leno-

*Regina  
Scotia.*

7.  
*Buchan.  
hist. Scot.  
lt. 16. &c.*

*Scoti nobi-  
les hæsi  
fauores à  
Miseris  
quàm pro-  
be remu-  
nerati.*



rij, & Mortoni rebellibus Parliamentis centurias nobilitatem ipsiusque nobilitatis caput regem & reginam continet Euangelismus Scoticus, quæ si quis particulatim narrare voluerit, multis ei voluminibus, multis annalibus opus fuerit. Summa autem illius tempestatis & in qua tanquam in perfecto speculo quid sibi expectandum sit dispicere possunt Catholici Gallia hereticis seruientes, ad hunc modum a Scoto fidelissimo & præsentis rerum gestarum teste describitur. Sic ille cum ministris Calvinistis Scotia quoad hanc erga Nobiles eorum auctoritati & regno in Scotia stabiliendo maximè suffragatos perfidiam exposulat. *Arianus Comes* (Hamiltonii Ducis Castellerautij filius) pulchrum est vestra leonina societatis exemplum, cuius auctoritatem quamdiu vobis ad vestram potestatem vsui esse poterat, simul & nomē mirifice coluistis. Vobis vero gratia vestra vobis in populum satis magna est vis, hereticiorum acceptorum inmemores, eum in vincula comedendi flagris cesum, & omnibus modis crudelissime acceptum tantum non exanimastis. Maiorem perfidiam in patre eius prima nobilitatis viro à vobis prodito & perduto; item in Comite Huntleio ostendere possem. Neque hoc perpetrarunt in istos solos, id quod poterat ex priuato odio & maleuolentia profectum videri, sed in reliquam nobilitatē vniuersam. Isque est istius Calvinistæ genius, ut nisi Nobilitas Ministris seruiliter pareat, & Consistorio quiduis vel factu vel creditu absurdissimū præcipiēti ad nutum obtemperet, omnibus sit subiecta contumelijs & cruciatibus. Neque verò hoc Gallicana nobilitas vnquam effugere poterit, si vt nunc in quibusdā vrbibus Gallia & Geneua vsurpatur, & in Scotia factum est, Beza Knoxum Scotia Archisuperintendentem ad illud impellente, & ne

*Archibal.  
Hamilton.  
Calum. cō-  
iusto demō-  
stra li. 2.  
cap. 34.*

*Ministror.  
Scotia ty-  
rannis in  
Nobiles.*

*Beza epist.  
Theolog.*

Consi-



Consistorij supremam potentiam ad regem regisue  
 consiliarios (vt in Anglia fit, & Biernæ ad Anglię  
 imitationem à rege Nauarræo fieri videntur) trans-  
 ferri vnquam pateretur vehementissimis obtesta-  
 tionibus sollicitante, Consistorium ministrorum su-  
 premam obtineat Ecclesię regendę potentiam. Tū  
 enim vt Geneuę Calvinus nobilissimos Gallos suę  
 fecit maiestati obnoxios: vt ministri Scoti in priua-  
 ta domo contra reginam suam tum inter eos regno  
 suo fruuentem depositionis sententiam protulerunt,  
 & nobilibus Calvinianus mandarunt vt sententi-  
 am eam exequerentur: quemadmodum nuper ad  
 huius ministralis potentię firmandę argumentum  
 rex Nauarræus Consistorio ministrorum Montal-  
 bani de sua fide ad normam Geneuensem (vt opi-  
 nor) Euangelica satisfecit, ita certissimò cõstat hoc  
 iugum vniuersę esse nobilitati Gallicanę subeun-  
 dum, vt nisi & quoad fidem, & quoad ciuiles actio-  
 nes Consistorio placuerint, eorum capita diris &  
 anathematis sine deuouenda, illique mox tanquam  
 patrię hostes extremis supplicijs castigandi. Hoc  
 enim in Ecclesia Scotica fuisse receptum, op-  
 timus est testis ille ipse Scotus quem prius memo-  
 rauimus. Sic nimirum ille cum ministris, illis expo-  
 stulare pergit. *Ingratos vestros animos contra totam no-  
 bilitatem recordamini, cuius viribus dum creuistis, perpetua  
 quadam reuerentia coluistis. Nunc verò eorum armis in ma-  
 iestate vestre solium subuecti, in omnium pariter colla su-  
 perbisimè insultatis, excommunicationis primum, tum pro-  
 scriptionis sententiam in nobilissimum quemque fulminan-  
 tes qui decretis vestris parere recusat &c. vt quum primò  
 nihil postularetis nisi vt conscientie libertate vobis frui lice-  
 ret, nunc versa vice, ea minimè contenti, crucem, vincula,  
 mortis mille modos minitami, si Catholicę fidem quis pro-  
 fiteatur. In hac historia proceres Galli vestrę futurę*

79. ad Xro  
xum.Histoire de  
la vie de  
Caluin, ca.  
12.  
Suprà pag.  
19.

Vbi suprà.

Tyrannica  
Ministro-  
rum hypo-  
crisis.



*Poplm. lib.  
39 fol.  
267.  
an. 1575.  
6000. lxx.  
Danaul.  
3000. lxx.  
Cond.*

*Advertite  
Nobiles  
Franci.*

*Platarch.*

calamitatis imaginem ad vivum depictam intueri potestis Quoad Calvinismus in patria hac vestra adoleverit & ad stabilitatem suam vestra ope induerit, eritis ministri illustrissimi Duces Memorantij, eritis Comites, eritis fideles Gallicanae coronae subditi & Marecalli : & Marecallo Danuillio pensionem menstruam duplo quam principi ipsi Condæo ampliozem fideliter fortasse persolvent, quia vident eum sub Catholici nominis specie duplo quam Condæum esse Catholicæ religioni hosti nocentiozem, & Calvinismo amicum duplo commodioræ. Ut primùm verò Calvinismus ætate matura per se stare poterit, & suis se viribus tueri, maxime si regem Calvinistam in solio regni Gallicani confidentem habuerit, tum certe Calvinismus Secticus prænuntiat quis sit futurus Calvinismi Gallicani effectus, & huius vestra nefanda vnionis exitus. Tum nisi iidem nobiles qui iam sunt Calvinismi illius nutrij & patrõni, Calvinianis ministris profus, & simpliciter capita & conscientias suas subiecerint, & vincula, & flagra, & carceres & post excommunicationes consistoriales, proscriptiones civiles, & tormenta, & suspendia, & denique quæcunque patriæ proditoribus & Dei hostibus in repub. quam optime ordinata pænæ & infamie sunt constituta, eas sibi perferendas esse certissimo Navarristæ Gallicæ Catholici nouerint. Nimirum ut egregius Macedonum rex Philippus dicere solebat se proditorem quidem amare, sed proditores non item. & Iulius Cæsar se proditores plurimum amare dum proderent, sinã autem proditõne eos damnare, quibus nec in leuissimis rebus volebat fidere: non aliter Calvinistæ siue ministri siue duces, vestram proditõnem, vestram impietatem, vestrum religionis Catholice neglectum amant & prædicant; at vos ipsos nec amant nec amare possunt.



sunt. Vel si fucata quadam & simulata benevolentia proficiantur; ea tam diu manebit, quousque pro-  
ditio vestra illorum rationibus inseruiet. Quod  
quum defierit, tum nec in rebus vllius momenti  
vobis fidem habebunt, & optimo iure suspicabun-  
tur vos qui paucis aureis vestram fidem & Ecclesiã  
illis cum Iuda vèdere voluistis, totidem solidis aut  
etiam quadrantibus velle eorum Euangelisum &  
synagogam prodere, si tamen vlla eiusmodi penes  
vos sit facultas.

8. Quamquam autem ista sufficerent hominibus  
non profus obtusis & stupidis, tamen non possum  
penitus silentio prætermittere patriæ nostræ cum  
hac vestra comparationem, quando vtrinque tanta  
est similitudo, & vicinitas, vt qui Catholicus in sta-  
tu Flandriæ ruinam Franciæ videre nolit, is in re-  
probum sensum datus, & à Deo sensuque etiã cõ-  
muni planè derelictus ceseatur. Nostri proceres Ca-  
tholici, Dux Arescottanus, eius frater Marchio Ha-  
uerensis, Comites Laleniis. Egmondanus, Bossui-  
us, Cardinalis Granuelli frater Champinius &  
alii eodem profus modo se submiserunt Aurangio,  
quo memorantius, Danuillius, Thoræus & reliqui  
nobiles Catholici se iamdiu supposuerunt Nauar-  
ræ. Vnio nostra Bruxellensis Catholicorum cum  
Caluinistis Aurangij, nihil omnino discrepabat ab  
vniõne vestra cum Caluinistis Nauarræ. Illa fiebat  
ad conseruationem nostræ sanctæ fidei & religionis Catho-  
licæ Apostolicæ Romanæ, ac tranquillitatis publicæ. Ve-  
stra item vniõ eüdem sibi finem proponit. Illic mu-  
tuo iuramento tenebantur Catholici ad defensionem  
Protestantium, & Protestantes vicissim ad defensionem  
Catholicorum: nec Catholici Protestantibus, nec Prote-  
stantes Catholicis aliquo modo nocere, aut facto dicto-  
ne debebant offendere. Idem est primarius articulus  
vniõnis

Particula-  
su compa-  
ratio vniõ-  
nis Catho-  
licæ Flan-  
drorum cõ  
Aurangio,  
& Franco-  
rum cum  
Nauarræ.

Histoire des  
troubles des  
pays-las 11.  
fol. 320

Ibid. fol.  
338. anno  
1578.  
m. 112  
Aprilis.



*Podium  
1400.  
equitum  
1600.  
Ibi, fol.  
211.*

vnionis vestræ. Vos singulis conscientiarum suarum libertatem indulgentes prouideris ut incastris vestris sint & sacerdotes qui sacrificium Christianorum parant, & item ministri qui Caluinianè concionentur: non aliter quàm illi in suo immenso exercitu habebant duces militesque alios qui in dies singulos religiose intererant Missis, alios qui gregatim frequentabant conciones. Nauarræus nunquam sincerius aut vehementius de suo erga patriam zelo, de amore quietis publicæ, de libertate conscientiarum, de Ecclesijs sacerdotibus nulla molestia afflicendis protestatur, quàm noster Aurangius & protestatus est, & iterum atque iterum iurauit. Quando omnes partes Vnionis vestræ attentissimè considero, nihil prorsus video discriminis, nisi quod apud nos quum è XVII. prouincijs duæ tantum essent hæreticæ, Hollandia & Zelandia, quindecim autem reliquæ Catholicæ, & in ijs nulla vel vnica ciuitas vel pagus hæreticus, Nobilesque omnes Catholicam fidem profiterentur, qui etiam numero potentiâque hæreticos Hollandos cuiuscunque generis triplo quadruploque superabant, longe maior erat fidei illius apud nos defendendæ probabilitas. At quis demum effectus ista fœdera, & iuramenta, & vniones cum hæreticis est insequutus? nimirum qui perpetuè istiusmodi monstris conjunctionibus hæresis cum fide, morbi pestilentis cum sanitate, vitij cum virtute, luporum cum ouibus, virginum cum lenis & lenonibus indiuiduus comes adhaeret nimirum ut hæresis fidem extingueret, membrum putridum & pestilens reliquas sanas corporis partes inficeret, vitium virtutem deleteret, lupi oues deuoraret, virginum castitas lenonum illecebris & delitijs corrumpetur, & denique Catholici hæreticorum & corpore & anima efficerentur

*Edus accurate factum pro religione Cathol.*



ur mancipia. Et religioni quidem generaliter, & populo item Catholico quid factum sit, in vnica ciuitate Antuerpiensi reliquarum ciuitatum & omnium prouinciarum illarum principe contempla-  
mini. Illo ipso huius vnionis anno subornati quidam ab Aurangio hæretici postulant suis concionibus Ecclesias Antuerpiæ designari, quæ ante huc diem omnes solis Catholicis patebant, omnes & singulæ hæreticis cuiuscunque generis erant clausæ & Calviniani concionatores, sed alligati ad multas cantiones de Catholica religionis securitate, ne quempiam Catholicum in religionis Catholica praxi, dicto factoue offenderent. Vt eadem religio instauraretur in Hollandia & Zelandia vbi iam diu fuerat intermissa, si tamé numerus Catholicorum hoc requirentium ad centenarium ascenderet. Interim nemini criminofum erit vel damnosum, quamcunque religionem in sua priuata domo exercuerit. Nemo vel in scriptis vel in concionibus aliquid proferet contra quamcunque religionem, sed ea tantummodo docebit quæ pertinent ad ædificationem auditorum. Abstinebitur vbique ab operibus manuatijs illis diebus omnibus quos Ecclesia Catholica statuit festos, hoc est præter dominicos & Apostolorum, diebus Annunciationis, Assumptionis, Purificationis, & Corporis Christi. Ad omnes honores & officia publica, Academias, Collegia, Hospitalia æqualiter admittentur Belgæ cuiuscunque religionis modò aliàs fuerint idonei. Denique magnanimi & potentes principes Archidux Matthias Belgij gubernator, & princeps Aurangius eius vicarius generalis, scientes & volentes eorumque singuli seipos interponunt sponsores vades & obsides, quòd hæc integrè & arctissimè seruabuntur quoad Catholicos & Protestantés, hæcque illi promiserunt & iurauerunt

Diligenter notandum

Anno 1578. Augusti die 7. Ibi fol. 356

Ibi art. 26

3.

”

”

7.

”

11. 12.

”

”

17.

”

”

16. 19.

”

”

”

”

Ibi fol.

359. De leu

787



*bone scient, Entier accomplissement & punctuelle obseruatio.* rarunt in verbo principum per fidem & religionem quam receperunt in bapuzimo: prætere aque adiccerunt se singulari cura defendere velle prælatos & alios Ecclesiasticos quantum est possibile, nec passuros vt aliqua eis afferatur iniuria aut molestia, vel quoad corpora, vel quoad religionem, vel quoad bona.

*Nota huiusmodi solennis sedendi Caluanianam obseruationem.*

*Anno 1579. mense Iulio.*

*Ibi fol. 392. Pour en pouuoir disposer à leur uoloiè.*

*Vide historiam de rebus Belgicis impressam Francofurti. fol. 236.*

Postquam ergo his conditionibus & pactis Antuerpiam ingressus est Calvinismus, quamdiu hac æquabili cum sectarijs libertate potiri sunt Catholici: Nondum annus exierat, quum Colonia ad componendum tumultus bellicos conueniunt legati Imperatoris, regis Hispaniarum, & Ordinum Belgicorum. Ille conuentus quò Belgicis provincijs factus & saturatus esset, clericis & presbyteris Antuerpiensibus omnibus iniungitur vt generalibus precibus Dei bonitatem implerent. Conueniunt omnes in Ecclesiam Cathedralẽ, præsentẽ etiam Gubernatorem Matthiam. Aurangius autem vel quia Euangelicus, vel quia in futura Tragicocomædia præcipuus erat actor, adesse non poterat. Dum illi Catholici precibus & supplicationibus sunt intercepti, fit concursus Calvinistarum: Ecclesiam turmas suis tanquam ciuitatem hostilem circumfident, multos egredi conantes vulnerant, nonnullos interficiunt, & internecionem omnibus comminatur nisi clerum Antuerpiensem dedant vt de illis suo arbitratu possint disponere. Matthias timore consternatus eos Calvinistis permittit, qui eos ignominiose affectos è ciuitate, pellunt, & tribus nauibus principis Aurangij impositos, per dies nonem aut amplius (quasi consilium de eorum capitibus & fortunis interea caperent) in flumine vicino decernent tandem probris & contumelijs oneratos abire sinunt sed mox eosdem fuga sibi consulentes insequuntur.



insequantur, & quos potuerunt comprehendere, verberibus cædunt, & pecunijs omnibus, ipsis etiam vestibus rapacissimè despoliant.

Paulòque post per ciuitatem vniuersam interdicitur, ne qua sacramenta, sacra, aut cultus diuinus Catholico more fieret. Nec publicè tantùm, sed priuatim quoque Catholicam religionem seuerissimè prohibent, centum aureorum mulcta ei imposita qui vel clanculum domi priuatæ Missæ

*Mira memoria moribus sit.*

interesset, quam mulctam eadem de causa inter alios Antonius Spinola persoluit. Ita Catholici quibus solis superiore anno non tantùm priuatæ singulorum ædes, sed omnia & singula vrbis Antuerpiæ sacella Ecclesiæque patebant, nunc ista sua pulcherrima cum hæreticis vnione, tantulo tempore in eam sunt redacti miseriam & seruitutem, vt facellis Ecclesijsque omnibus exclusi, nec in priuatis suis ædibus Christiano ritu Deum possint adorare. Eodemque tempore aut paulò antea

*Histoire des troubles du pays-bas. lib. 4. in fine.*

Aurangij milites omnem circuncirca regionem Louanium vsque peruagati, incredibilia damna omnibus Catholicis, potissimum Ecclesiasticis faciebant. Cre-

*Nobles Catholiques non vniuersi quædam sacerdotes spoliati.*

mabant, vastabant, destruebant Monasteria, Abbatias, Ecclesias & Hospitalia. In publicis vrbis vbique terneres presbyteros & religiosos, alios suspensos ex arboribus, alios traiectos bombardis, &c. Denique vt pulchrè annotat

*L'Histoire Flamand, de nostre temps par M. P. lib. 2. cap. 9.*

hic historicus quidam Francus, tanquam in hac historia Francis futuræ suæ calamitatis miseriam certò affuturam voluerit prænuntiare: Catholicos Flandri qui Caluinistis libertatem religionis procurauerant, ipsi primi ob tantæ indulgentiæ præmium coacti sunt videre suam religionem profanatam, bona vastata, vincula

is omnibus iniecta qui aliquo velleuissimo signo demonstrabatur hæc sibi displicere. Gadauenses diripiébant Ecclesias,



vinciebant & crudeliter dilaniatos trucidabant presbyteros, conculcabant & prædabantur Nobilitatem Catholicam. Nec in hoc Antuerpienses quicquam erant Gandauenfibus moderatiores. Neque enim nobilibus magis quàm plebis parcebant, neque magis è demolendis nobilium ædibus quàm Monachorum claustris abstinebant sed æquali penitus lance plebeios, monachos, nobiles tractabant & quoad expoliandas domos, & quoad extorquendas redemptionis ergo pecunias, & quoad turpissimam mortem absque redemptione illatam, si quando eorum prædones ceperunt vt monachum & plebeium, sic nobilem quemcunque qui ab eorum hæresi putabatur alienior. Vix autem quisquam etiam eorum qui principum Aurangio ad monarchiam euehendo maxime fuerunt vtilis, diuturnos tamen carceres & popularem ignominiam, & honorum suorum direptionem euasit: atque ita aliquas pœnas dedit ab illo ipso homine castigatus, cuius iniustam causam Deo sanctissimas religioni tam nefarie prætulera. Arce cottanus enim Dux qui arcem Antuerpiensem minutissimum totius regionis propugnaculum Aurangio tradiderat, Gandauum à factiosis quibusdam Aurangij satellitibus captus, vnâque Episcopi Bragensis, Iperensis, Rassengemius Duaci & Insularum præfectus, Cardinalis Granuellani frater, & alij plurimi proximoque mense Groningæ multi prælati & nobiles eodem modo accepti, alij breuius, alij diutius carcerem molestias pertulerunt. Egmondanus in vili arcis Zelandicæ ergastulo aliquot annos miserabilem vitam egit. Paulò autem post non per Antuerpiam, aut Gandauum, aut Groningam solùm, sed passim per omnes Belgij ciuitates, primum religiosi, deinde pastores, conciliarij, nobiles, magistratus, & quotquot Aurangij instituto minus fauere putabantur, eijsumur

Suprà fol.  
693.

Nobiles  
misere ab  
Aurangio  
vexati.

Anno  
1577.  
mensis Oct.  
& Nou.

Rammens.

Surius an.  
1578. pa.  
234.



eyciuntur in exilium. Et ne singula confecter, quis v-  
 nus Catholicus, vel Dux, vel Marchio, vel Comes,  
 vel etiam Baro, etiamsi plurimum ad regnum ei  
 parandum opitulatus est, etiamsi contra Hispanos  
 cum eo semper pertinacissime stetit, tamen aliquo  
 tempore postquam in regno suo tyrannus ille fir-  
 matus est, veterem apud eum gratiam, aut provin-  
 cia alicuius gubernationem quanquam omnium  
 patrie Ordinum a sensu traditam retinuit: Nonne  
 crassissimis suis periurijs, & iniurijs, & mendacijs  
 totas à se prouincias alienauit? Nonne Artesij,  
 Hannonij, Atrebatenses, & alij Gandauensi pacifi-  
 cationi quam ille saepenumero iurauerat addictis-  
 simi, idcirco ab eius societate discedebant, quia vi-  
 debant in illo Caluinista, monstro potius quam  
 homine nullum dissimulandi, nullum peierandi  
 finem? Nonne clarissimi viri Marchio Gandauen-  
 sis, Philippus Comes Lalenus, Comes Renneber-  
 gius, Baro Montignius, Richardotius, & alij per  
 multi continenter ab eo ad principem Parmensem  
 tranfibant, quia magno suo malo sentiebant in il-  
 lo inexplebilem Catholicorum nobilium sangui-  
 nis fundendi cupidinem? Hic est fructus vnionis  
 Catholicorum cum Caluinistis. Sic illi in verbo  
*principum & per fidem & religionem quam receperunt in*  
*baptismo* (à qua fide per hæresim suam Caluinia-  
 nam plane Apostatae facti sunt) quæ Catholicis de  
 fide & securitate promiserunt, exoluunt. Quum  
 autem idem sit Caluinismus & Atheismus in Gal-  
 lia qui in Flandria, idem spiritus & vestrum Na-  
 uarræum Condæumque, & nostrum Aurangium  
 rexit, quum illi tres coniunctissimi tota vita sua  
 fuerint, mutuis sese perpetuo iuerunt consilijs,  
 & roborarunt auxilijs, & iisdem prouincias suas  
 gubernarunt rationibus, hi se vicissim prudentes,  
 D d d bonos,



bonos, Christianos, Euangelicos, ceteros omnes  
 Christiani orbis principes malefanos, impios, An-  
 tichristianos, hostes euangelij iudicarunt: certissi-  
 mum est eandem esse Nauarræ & Aurangij erga  
 Catholicos fidem, amorem & affectionem. Nihil  
 ambigite Gallia proceres Catholici cum hæreticis  
 vnti, eandem fore conditionem vestram, si quando  
 rerum gerendarum maturitas eo peruenerit, que  
 fuit nostrorum in Flandria cum Aurangio *victoriam*  
 procerum, quorum turpem exitum ipsi oculis &  
 auribus vestris hausistis. Fieri profecto nunquam  
 potest vt nouus hæreticus veteris nobilitatis vllam  
 rationem habeat: & diuine admodum ab excel-  
 lenti martyre Rossensi Anglo dictum est in ipsa  
 initijs huius Anglicanæ tragediæ, quum proceres  
 ab Henrico illo instigati ita facile ad ecclesiarum  
 expilationem & euersionem coniuerent, eorum  
 quoque ruinam propediem esse sequuturam. An-  
 tiqua enim fides, antiqui mores, antiqua fidelitas,  
 & antiqua Nobilitas pariter coniunctæque ince-  
 dunt. Non autem hæresis vt à nouis & inquina-  
 tissimis moribus oritur, ita naturali sua propen-  
 sione noua omnia concupiscit, nouos asseclas, no-  
 uos sectarios, nouos nobiles nouisque moribus im-  
 butos. Vtque in communi vitæ consuetudine si-  
 miles similibus delectantur, & inter eos solos est a-  
 micitia: nec vnquam libidinosi cum continentibus  
 parci cum prodigis, sapientes cum temerarijs ama-  
 tores patriæ cum patriæ eiusdem proditoribus nisi  
 perinuiti versantur: ita multo magis à natura re-  
 rum abhorret, vt antiquis Catholicis nobilibus cũ  
 nouis Caluinianis principibus sincere conueniat.  
 Est enim in Catholicis, potissimum nobilitatis an-  
 tiquioris, libertas loquendi, est excelsior mentis  
 indoles; sordes, luxurias, libidines, iniustas regis  
 actiones

*In Chroni-  
 cis Angliæ*

*Noua hæ-  
 resis non  
 potest ferre  
 veterem  
 nobilitatē.*



actiones, sacrilegas ecclesiarū spoliationes laudare non possunt. Ergo Calviniani principes qui sola fide instructi credunt opera bona esse superflua & superstitiosa, & hæc opera mala esse maximè evangelica, & summum imperium nacti reprehenses cane peius & angue oderunt, quomodo ferent tales Catholicos vel in Senatu consiliarios, vel in aula domesticos? Ea fuit semper, semperque erit istiusmodi principum natura & ingenium, vt eos solos sibi ducant amicos & habeant familiares, qui (vt inquit Comicus) *imperarunt ipsimet sibi omnia us-* *Tarentis*  
*senturi & principum ingenia admirari: quicquid principes dicant laudare id si negant. laudare id quoque.* Sic olim Caligula Nestorem pantominum, Nero Menecratem citharædum, Valens Imperator Arrianus Demosthenem suum coquum, Aurangius Terlonem nescio quem, Henricus octauus sordidissime natum & educatum Crumwellum & vnum vel alterum leonem, magis quam centum duces Norfolcios, centum Duces Memorantios, aut Marefcallos Danuillios, intelligo nobilissimos proceres Comitum Duceq; Catholicos diligebat.

9. Ad clerum vero Gallicanum excitandum & officij sui admonendum, quid ego ijs quæ iam antea dicta & repetita sunt grauius aut efficacius adijcere potero? qui si tot infandis sacrilegijs, tot ecclesiarum incendijs, sanctarum reliquiarum *Clerus Gallicanis*  
*quid potissimum considerare debet.*  
exustionibus, diuini nominis blasphemijs, omnium factorum & sacramentorum contemptu nõ commouentur, si nec Dei maiestas violata, nec Christi incarnatio, vita, mors, omniaque ab eo tradita mysteria fœdissime contaminata, si Beatissimæ Trinitatis essentia & gloria tam nefarie & Satanice corrupta, si omnium Sanctorū, Martyrū, Episcop. in Ecclesia Gallicana maiorū suorū con-



tumeliæ clerum Gallicanum ardenti zelo inflam-  
 mate non possunt, si aperta hæc Atheismi & infi-  
 delitatis professio eos condocere nequeat ut  
 sciant Calvinianam regem nunquam esse vllis  
 conditionibus suscipiendam, tum ego certe quide  
 alia minora & abiectiora vitæ, fortunarum, liber-  
 tatis, bonorum discrimina arbitror multo minus  
 apud eos valitura. Et tamen si qui ita sint terrenis  
 magis quam cælestibus, caducis quam æternis bo-  
 nis affixi, meminerint ij quod est notissimum quod  
 immani strage & incredili carnificina per-  
 Calvinistæ non tam iugulauerint, quam laicau-  
 rint, & discerpserint Catholicos, sed imprimis & ma-  
 xime clerum in plarisque Gallia ciuitatibus: plaris  
 in omnibus quas suo dominatu occupabant: Au-  
 relijs, Vindocini, Blesis, Turonibus, Andegauis, Cenomanis,  
 Pictauis, Biturigibus, Engolesmi, Rothomagi, Lugduni, Ca-  
 taluni iuxta Ararim, Matisconi, in maiori parte Delphinat-  
 us, Meminerint in his (exempli gratia) locis illis  
 fratres Calvinianos veros Gothos & Vandalos nulli-  
 tum iniuria lacepsitos commississe strages horribiles, &  
 voluisse se in sanguine miserorum sacerdotum, quos eneca-  
 bant omnibus suppliciorum exquisitissimis generibus qua in  
 homine poterant excogitari. Meminerint eos, tum pu-  
 blice omnibus in locis protestatos se bellum gerere cum  
 monachis & sacerdotibus æternum & irreconciliabile,  
 vtpote cum quibus eorum euangelium nullam ad-  
 mittit pacificationem, nisi prius manifesta Apostas-  
 ia à Christo & fide eius deficiant. Meminerint (in-  
 quam) quocunq; modo egerint, quocunq; modo  
 simulauerint vel dissimulauerint, nisi tamen plane  
 Christo renunciauerint, iam pridem latam esse de  
 eorum capitibus sententiam. Quemadmodum in  
 primo tumultu, si qui pastores docti, pij & con-  
 stantes Catholicæ fidei cõtra Calvinismum desin-  
 foret

Belfores  
 annal. lib.  
 6. cap. 95.  
 fol. 163.

Hugonote  
 omnium  
 sacerdotu  
 hostes ca-  
 pitales.



fores in eorum manus incidebant, illi statim absq;  
 mora *tanquam religionis Evangelicae hostes* occideban-  
 tur. Sin vero pastor aliquis lenitatis & moderatio-  
 nis nomine erat commendatus, qui contra Calui-  
 nismum nullum fortasse zelum & vehementiam  
 ostenderat, manifeste tamen ad eius approbatio-  
 nem adduci non poterat: & ille quoque non minus  
 quam priores crudeliter ingulabatur, exclamanti-  
 bus perpetuo ministris quemadmodum à suo A-  
 postolo Farello didicerat, *ho, c'est vn diable blanc, le*  
*faut oster du milieu des hommes*: ho iste talis est diabo-  
 lus candidus, non minus quam reliqui illi è mun-  
 do tollendus: atque ita siue illis amice blandi-  
 mini, siue vt par est fortiter aduersemini, nisi plane  
 Christum cum illis abnegare velitis, capita vestra  
 morti sunt deuota, & semper illis estis *diaboli*, vel  
 nigri vel candidi, semper estis diabolorum instar  
 bellicis & bombardicis exorcismus istorum Ange-  
 lorum (Satanæ) è mundo hoc ad inferos eijciendi.  
 Memineritis deniq; ipsos Nauarræi antecursores  
 iam nunc valde imprudenter dicere, illū ecclesie  
 quam instituit reformationē inchoaturum ab ec-  
 clesiasticorum bonis diripiēdis. Iam pridem si qui-  
 dem scribunt *Gallicanas ecclesias regis esse*, easq; posse à  
 rege pro sua voluntate mutari, expilari, inuerti: &  
*diuitias esse venenum ecclesie Gallicane*, propterea q; eas  
 contraria antidoto, necessario nimirum sanitati  
 ecclesiasticorum medicamento esse tollendas, & in  
 fiscum regis Nauarræi euerendas.

Quod ne leuiter quasi forte foruito istis homi-  
 nibus elapsum Ecclesiastici negligentius aduertat,  
 aut molliori brachio prætereant, hoc vnum consi-  
 derent præterea, hanc persuasionem iam olim in  
 huius Nauarræi eiusque fratris Valesij mente, Cu-  
 tia, consiliarijs, totaq; vite praxi à multis iam annis  
 inuetera-

*M. de Las-  
 nay en la  
 repleque li.  
 2. cap. 16.  
 7. 2. fol.  
 226.*

*Spolum  
 ecclesie  
 Gallicane  
 imminet.*

*Apologie  
 Catholique  
 pag. 98.*



Poplin.  
hist. li. 43.

inueterauisse. Siquidem penultimo conuentu Ble-  
fensi meminisse potestis Regem illum quasi tum  
huius prædationis initiū facientē vehementer fla-  
gitasse vt omnia ecclesiæ Gallicanæ spiritualia  
(quæ vocantur) beneficia illius vnicae voluntati or-  
dinanda & dispensanda traderentur. Quod quum  
Archiepiscopus Lugdunensis egregijs rationibus  
dissuasisset, maioremque Comitiorum partim à  
regio postulato auertisset, Rexque propterea ira-  
tus cum ad se accersitum valde increpasset, & e-  
contra Archiepiscopus quod sibi videretur disse-  
ruisset, Regis et Archiepiscopi sermones interrup-  
pens non bene moratus, sed tamen Regis sui vo-  
luntatis optime conscius Cancellarius: Duo suos  
(inquit) potentissime Rex, quæ Episcopum istum statim  
faciant cum suis omnibus ratiunculis obmutescere: alterum,  
Clerum Gallicanum antiquitus iniusta fraude hoc ius regi-  
bus alioqui debitum surripuisse: alterum, non modo hoc  
quod vestra maiestas requirit, sed etiam præterea omnia  
simpliciter & vniuersè bona ecclesiasticorum in Francia  
vestra esse, & propriè ad vos pertinere. Cuius impuden-  
tiam quamuis constantissimus præsul ita statim  
coram rege libere prudentissimeque refutaret, vt  
præ dolore & iracundia furiosus Cancellarius ad aliquos  
dies agrotans, è cubiculo se mouere non posset, tamè hanc  
doctrinam ita Regis illius animo inhæsisse vt dem-  
ceps continenter iuxta eam se regeret, & facultates  
Ecclesiasticorum tanquam suas gradatim ad se ra-  
peret, totus consequens vitæ eius cursus declara-  
uit. Hoc ipso enim tempore postquam aliquot cen-  
tena aureorum millia à Clero sibi annuatim per-  
soluenda impetrasset, quod illi ad sex tantum an-  
nos certo modo certisque cum conditionibus con-  
cesserunt; vbi ad eorum annorum terminum iam  
fere peruentū est, & Clerus ab illo onere ad aliquod  
saltem

Cancell.  
Bisagne.

Generale-  
ment tous  
les biens du  
Clergé de  
France.  
Il en rem-  
ba malade  
de colere  
&c.

433130.



saltem tempus se iam confideret respirare, tum religioſus iſte rex tanquam proprie eccleſiarū bonorumq; ad eas pertinentiū dominus, de repente neſciſcitatus quidem à Clero utrū conſentire vellet, ſua abſoluta authoritate quemadmodū in alijs regni ordinarijs reſtitibus fieri conſuevit, ita in ſingulis regni huius provincijs nouos officarios ad pecuniā eam extorquendam erigit, eoſq; perpetuos facit officiaq; præſenti pecunia (vt moris illi erat) ſub auctione vendit. Cumq; Clerus per Syndicum intercederet, & in Parlamento Pariſienſi de magnitudine iniuriæ ſibi illatæ vehementiſſime conquereretur, opponeretq; leges & Diuinas, & Imperatorias & Regias, & ius naturæ, perpetuaq; priuilegia Eccleſiæ Gallicanæ, quæ niſi ſua ſpõte & gratuita conſeſſione Clerum ad tale onus aſtringi prohibebant: tamen hiſ nō obſtantibus, impius ille rex, vel Pharaone tyranno, vel Artaxerxe infideli Perſa contra eccleſiam immanior, præcipit parlamento vt literas ſuas ea de re ad ipſos miſſas inſtar legū ratas & fixas eſſe decernāt, nec quiſquā omnino faciant omnes contrarias Cleri per ſuum illū Syndicū oppoſitiones ſiue de ſcripturis, ſiue de iure naturæ, ciuili, aut alio quocunq; ſumptas, quibus omnibus ex aduerſo in altera quaſi libræ lance appendi & præponderare ſuum vnus tyrānicū illud verbū iubet, *Car tel eſt noſtre plaiſir*. Sic eſt volūtas noſtra: ſic volo, ſic iubeo. Quo ille verbo viam manifeſte præſtruxit ſuo Nauaræo vt quantum vellet à Clero audacter liberriſimeq; auferret. Qui enim nulla alia ratione quā ſua ſolius voluntate vel voluptate ductus, quadringenta & tot præterea aureorū millia annuatim in æternū ſoluenda Clero imponere potuit, quādo iā regis voluntas facta eſt ſuprema lex de eccleſiaſticis bonis præſcribēdi, cur nō Nauar. volūtas ſatis

D d d 4 locuples

Henric.  
Valeſ. in-  
tium facte  
ſpolianda  
eccleſia  
Gallicana.

Genef. 47.  
1. Eſdra. 7  
In Auhis.  
Item nulla  
communis.  
C. de Epifc.  
& Cler.  
Decret.  
Greg. lib. 3  
tit. 4. ca.  
Non minus  
& ca. Ad-  
uerſus.

Litera da-  
ta anno  
1581. Lu-  
ny 29. à S.  
Maur.



Henric.  
Vales. viā  
præstruxit  
ecclesia  
Gallic. pe-  
nitius euer-  
tenda.

locuples amplaq; causa erit, vt octies centena mil-  
lia, vel duplicata, si ita ei videatur, à Clero annua-  
tim exigantur? Imo cur non hæc voluntas sufficiat  
Nauarræo vt sicut alibi fecit, ita in Gallia quoque  
integros ecclesiarum fundos redditusque sacerdoti-  
bus ademptos sibi assumat, eosque annis pensioni-  
bus iubeat esse contentos? Nihil enim interest, nec  
quicquam impedire potest, quin si Regis voluntas  
ad primum sufficiat, eadem sufficiat quoq; ad se-  
cundum. Sicut sola per se satis est ad regē ex triente  
bonorum ecclesiæ possessorem efficiendum, eadē  
satis superq; valebit ad eū ex dodrante, imo ex alle-  
earundē facultatum hærodem cōstituendum inte-  
gramq; earum possessionē veris dominis ablatam  
sibi vni assignandam. Neq; vero ab hoc tēpore  
quam destitit pius ille Valesius prouentus episco-  
patuum, monasteriorū, ecclesiarum quarumcumq;  
consiliarijs, aulicis, militibus, politicis, pueris, mu-  
lierculis, & meretriculis tanquā plane suos condo-  
nare & addicere. Posteaq; per libellos quotidie  
missos vulgatosq; nihil in aula vel extra aulā per-  
sonabat magis, quā Regi plenam esse potestatem in bonis  
omniū subditorū siue Laici essent siue Ecclesiastici, ideoq;  
rectē posse eum tum Abbatis tum Episcopatus donare siue  
aulicis & militibus &c. id quod omnibus Francis  
aliquid intelligentibus est notissimum. Nauar-  
ræus autem vt illius charissimi sui fratris plera-  
que sibi proponit imitanda, ita nihil magis quam  
hanc cleri spoliationem probat, qui etiam aliquan-  
do se plene integreque eius praxim in regno Gal-  
licano, facturum confidit, cuius iam diu illud fer-  
tur esse valde vsitatū apophthegma, Tum demū Regem  
Francia fore verum potentemq; Francia monarchā, quando  
ecclesiarum redditus habuerit suis regalibus adiūctos. Et hoc  
quod spe concipit in regno Gallia, id re cōfecit &  
præstitit

Supra pag.  
751.



præstitit in regno suo Biernæ, vbi omnes Ecclesi- <sup>Clerus</sup>  
 astici penitus tota & proprietate & vsufructu fun- <sup>Biernæ sua</sup>  
 dorum & bonorum quorumcunque priuantur: <sup>spoliatus</sup>  
 ijsque omnibus Regiæ coronæ adiunctis, ministri <sup>a Navarra.</sup>  
 remanent merè pensionarij, quorum coniugato  
 cuique assignantur annuatim libellæ Franciæ vel  
 floreni 300. cælibi 260. è quibus tamen deducun-  
 tur decimæ regi tanquam supremo ipsorum Pon-  
 tifici soluendæ: & quæ postea superest summa, quæ  
 maligne, inuidiose, diminute, magnoque labore &  
 non mediocri sumptu à thesaurijs extorqueatur, <sup>Idem ex-</sup>  
 ex varijs ministrorum querelis & lamentationibus <sup>pellandorum</sup>  
 constat. Et qui suis quos putat veros ministros Do- <sup>Clero Gal-</sup>  
 mini tam iniquus & acerbus est, an vobis quos ha- <sup>licano.</sup>  
 bet pro sacerdotibus Baal, futurus est æquior & in-  
 dulgentior? Qui ita suos illos Euangelij præcones  
 tractat, an vos quos credit seruos Antichristi, ami-  
 cos Põificis Romani sui capitalis aduersarij, quos  
 necessario ipso ductu & impetu euangelij sui exe-  
 cratur tanquam idololatrias, corruptores Euange-  
 lij, hæresis suæ (si verè Catholici estis) hostes im-  
 mortales; an vos patietur tranquillam & iucun-  
 dam cum bonis vestris sub eius dominatu vitam  
 traducere? Ergo si homines estis, si vtilitatis vestræ,  
 si honoris, si status, si ecclesiæ conseruandæ curam  
 aliquam habetis, videtis necessitatem quãdam vo-  
 bis iniectam vt Navarrai dominatui quàm acerrime  
 resistatis. Sed hoc quanquam Ecclesiæ Gal-  
 licanæ quæ magis quàm Reipub. æterna est, & æ-  
 ternitatem intueri debet, ideoque & tenetur sua iu-  
 ra, libertates, atque priuilegia quæ ab antecessori-  
 bus accepit ad successores integra & inuiolata trãs-  
 mittere, permagnum est seriõque ponderandum:  
 tamen singulis ecclesiæ Gallicanæ sacerdotibus,  
 quorum mentes hac tempestate ad grauiora ad cel-



fiora & diuiniora debent attendere, minus æstimã-  
dum cenfeo: & eos illud alterum de fide, de reli-  
gione, de præfenti morte quæ eorum capitibus im-  
minet si Catholici permanent, magis versare, &  
noctes atque dies ruminare suadeo. Et nisi valde

*Nauar. su-  
spendium  
vniuersi  
omnibus  
Catholicis.*

fallor, vt alia Nauarrai opera permulta non so-  
lum historica sunt sed etiam symbolica, hoc est  
quæ præsignificant quid in futurum ab eo rege  
Gallorum, si quando eò peruenierit, expectandũ  
sit: ita vnum est in hoc genere quod Christianos  
omnes, imprimis autem sacerdotes sollicitos vigi-  
lẽsque, & quasi in excubijs ad impediendum eius  
regimen armatos stare iubet. Illud intelligo quod

*Reponce  
des vrais  
Catholiz.  
François  
aux An-  
glois pag.  
60. 61.*

propter rei Turcicam immanitatem homini Chris-  
tiano vix credibile est; & nisi plurimi existerent  
qui in ea ipsa loca veritatis intuendæ & testifican-  
dæ gratia profecti oculari testes redijissent, nihil  
ne minime persuaderi potuisset, hominem titulo  
& specie externa Christianum, Christianis maioribus  
ortum, maxime qui sua purissima noui Euan-  
gelij professione Christianissimi Galliarum regni  
regem se sperat aliquando euasurum, tale quid vni-  
quam vel in animo suo voluisse concipere, multo  
minus opere & facto complere. Quid illud? Nimi-  
rum quodd in contemptum religionis Christianæ,  
& ad terrorem verorum Christianorum, veteris  
Paganismi morem redintegrans, in sua ditione Bi-  
ernensi patibula latronibus & homicidijs suspen-  
dendis posita, quæ à temporibus primi Christiani  
Imperatoris Constantini, propter honorem Cru-  
cis Christi & Christi crucifixi in aliã à figura Cru-  
cis formam fabricata erant, ea iste princeps in re-  
gno suo ad veterem illam & à Paganis vfitatã for-  
mam reduxit, & in veris Christianæ adorationis &  
religionis crucibus latrones maleficosque suspen-  
dit. Et

*Socr. om.  
lib. 1. c. 5.*



dit. Et hoc quid aliud significare potest quàm im-  
 mensum Christianæ fidei odium & detestationem, <sup>Paganicū</sup>  
 quàm Paganismi veteris instaurationem, quàm per- <sup>factū Na-</sup>  
 fidiam inuehendam contrariam fidei illi quam <sup>uarr.</sup>  
 Constantinus Magnus coluit & per Imperiū Ro-  
 manum propagauit, quàm Crucis & Crucifixi  
 summam despicientiam: imprimis autem sacer-  
 dotibus Crucis & Crucifixi adoratoribus denun-  
 tiat, eos istis crucibus esse affigendos, & cum Cru-  
 cifixo crucifigendos (quod à Nauarræi militibus <sup>Suprà pag.</sup>  
 in multis Guiennæ oppidis factum constat) nisi <sup>257.</sup>  
 Cruci & Crucifixo renuntiare, & omnem cultum  
 quem ei impendunt relinquere, & spem quam in  
 eum habent adijcere iam antea firmiter apud se  
 proposuerint. Hoc est quod ego auribus sacer-  
 dotum omnium per Galliam, hoc est quod Episco-  
 pis, hoc est quod ipsis Cardinalibus qui (ô tempo-  
 ra, ô mores) factioni Nauarræi fauent, acute sona-  
 re, & circumsonare, & insonare cupio, Qui si neq;  
 propter Christi Iesu gloriam, neque Christianæ re-  
 ligionis honorem, neque suam ipsorum salutem  
 æternam, ab illo hæresiarcha per supremi pastoris  
 iustissimam sententiam iam olim excommunicato  
 auocari possunt, quid ego frustra ad eos verba fun-  
 dam, quos ex Saluatoris nostri sententia constat <sup>Matt. 5.</sup>  
<sup>15.</sup>  
*sal esse insulsum & infatuatum, ad nihil prorsus utile, neque*  
*ad terram neque ad sterquilium, nisi vt mittantur foras,* <sup>Luc. 14.</sup>  
*& ab omnibus conculcentur!* <sup>34.</sup>

10. Ad ciuitates autem, ad mercatores ciuésque, 10.  
 ad populum Catholicum toto hoc amplissimo re-  
 gno diffusum, cuiusque in eo sustinendo magnus  
 est labor & maximum onus, ad hos officij sui com-  
 monendos nõ opus est aliquid nouum excogitare  
 præter ea quæ iam abundanter disputata sunt, &  
 sunt eis cum alijs plerisque communia. Quatenus  
 enim



enim Christiani sunt, in eadem cum Clero & Episcopis suis fide eis & viuendum & moriendum est: quatenus Catholici, ostendimus quantopere tenetur hæreticorum communionem exhorrescere: quatenus reipub. Gallicanæ & ecclesiæ Christi membra, iam prius edocuimus eos diuinis & humanis legibus obstringi vt nullam capitis vitæque reculent dimicationem quò Regem hæreticum a regno ecclesiæque procul repellant. Hoc enim non officium est Nobilium solum, non est officium Cleri aut episcoporum tantum, non tantum ad Iudam Machabæum & fratres eius pertinet, vel qui sunt ex genere Asamonæorum, hoc est proceres & nobiles, sed ad omnes qui habent zelum legis, ad Christianos omnes pro quibus non miuus quam pro Nobilibus & Episcopis mortuus est Christus, & quæ eadem qua Episcopi Nobilesque fide ad regnū celorum sibi viam munire debent. Illud fortassis hominum generi magis peculiare est, vt vrbium suorum contemplantur ornamenta & decorem, & eum in antiquis legibus, in pulcherrimis ecclesiis in sanctissimis monasterijs maiore ex parte positum animaduertunt, tum certò sciant hæc omnia vti cum ipsis magistratibus à Caluiniano rege profuturæ esse mutanda, diruenda, & exterminanda. Non enim necessariò mores, nouas leges, nouas ciuitatum gubernationes, hæc noua Caluinismi heresis inducit, id quod ex omnibus hæreticis Guianæ Gasconizque ciuitatibus istius imperio subiectis patet. Neque magis aptæ cohæret aut consistere potest nouus hic Caluinismus cum veteribus Catholicorum regulis, quàm quadrata cum rotundis, aut Alcoranus Mahometis cum Euangelio Christi. Ecclesias autem, monasteria, & huiusmodi antiquissima Christianæ pietatis monumenta excindenda.

*2. Mach.  
9. 28.*

*In vrbibus  
omnia per-  
turbanda  
sub Na-  
uarræ rege.*



excindenda fore, non minus certò colligatis ex tot millibus similium extructionum quas iam pridem <sup>Suprà pag. 566.</sup> alibi sceleratissimè disturbauit. Et qui Neraci regiam suam quam cum magna ostentatione amicis cum inuisitibus commonstrare solet, ædificauit ex ruinis ecclesiarum: qui eius ciuitatis ecclesiam <sup>Ecclesia euerenda.</sup> principalem totam demolitus est præter campanile, quod ad maiorem Dei & Catholicorum contumeliam, vel perpetuam sacrilegiorum eius recordationem stare permisit: hoc quid aliud Catholici interpretari possunt quàm clarissimam prædicationem se idem in suis ciuitatibus perpeffuros, si quãdo in illas eam quam Neraci obtinet regiam potestatem vir iste obtinuerit. Illud quoque fortasse vos ô ciues, & qui tertium huius reipub. Ordinem conficitis attingit propius, quod sub hoc rege nihil expectare potestis nisi continuam bonorum vestrorum ruinam & direptionem. Et hoc quoque ita <sup>Cruinum bona crispiana</sup> necessariò & arcte cum rege hæresis huius defensore copulatum est, vt lumen à Sole & humorem ab aqua facilius sit separare, quàm æternam prædandi subditosque expilandi proprietatem à rege hæretico nullis legibus frænato auellere. Et ita qui iam ægre molesteque fertis assés aut francos à vobis requiri vt Catholicam fidem vobis filijsque vestris tueamini; tum aureos, ipsosque redditus vobis ereptos sustineatis necesse erit, ad hæresim in regno hoc cum sempiterna vestra posterorumque vestrorum damnatione constabiliendam. An cupitis certam minimèque fallacem huius miserix vobis euentura demonstrationem? Conijcite oculos in proximam maximèque vobis vicinam insulam, & recolligite historiam <sup>Henricus 8. Anglus.</sup> Henrici VIII. quem à patre reliquitum fuisse omnium in Europa regum ditissimum, <sup>Tonius hist. lib. 1.</sup> non modo historici domestici Angli, sed ipsi etiam externi,



*Guicciard. Paradis.* externi, Franci Italique (quia erat notissimum) memoria prodiderunt. Is autem postquam perterritis semel illis regie potestatis limitibus & repagulis quibus includi debebat, supremum se ecclesie caput fecit hæresimque amplexus est: præter thesauros eos dissipatos & profusos, non multis sui vnus regni annis plura tributa à populo exegit, quam omnes ante eum reges simul in vnum coniuncti annis ferè quingentis, omnes dico quicumque in Anglia regnarunt à tempore Guilielmi primi Normanni quem Angli Conquestorem vocant. Cuius rei locupletissimus testis est Cardinalis Polus, qui hoc se ex ipsis libris rationum, & narratione eorum qui rationibus præerant, didicisse fideliter affirmat. Neque vno eo rapacitatis genere contentus fuit, vt per Parlamentaria Comitia tyrannico terrore coacta ad omnia fere quæ petebat lægendum, istiusmodi immensa portoria, vectigalia, subsidia, tributa, idque nouo & crudelissimo modo nec vnquam prius vllis temporibus vsitato erigeret, sed præterea postquam ea ratione quicquid poterat corrasisset, tum demum alia via in speciem leniore vsus, ab omnibus per regnum illud ecclesijs, nobilibus, episcopis, mercatoribus, villicis, & quibuscunque subditis quorum domestica facultates ad centum sexaginta aureos ascendere putabantur, infinitam summam pecunie, quam illi volentes nolentes præstare compellebantur mutuo sumpsit, sed datis chirographis regijs de ea cuique rependenda intra certos annos. Quæ chirographa ita accurate serioque promittebant pecunie eius restitutionem, vt plerique eam in dotem filiabus largirentur, plerique ijs chirographis tantam præsentem pecuniam mercimonia venderent emerentque, plerique in supremis testamentis eam pecuniam

*Populum suum immansuet expleuit 3. modis 1. immensa tributa exigendo.*

*Polus de primatu lib. 3.*

*2. Mutuo accepta nūquam restituenda.*



pecuniam inter suos distribuerent. Cæterùm cum eius persolvendæ tempus aduenteret, tyrannicus rex conuocato Parlamento effecit vt Ordines omnia ea chirographa irrita & inania esse declararent, eamq; pecuniam regi donarent vniuersam, cum infinito & inexplicabili innumerabilium per regnum illud damno & iniuria. Et tamen post hæc & huius generis alia particularia multa quæ mihi percensere nec opus est nec breuitas huius loci patitur, tali deinceps fraude eaque tam atroci & execrabili vniuersum illud regnum, omnes & singulos dico homines à primo & primario Duce vel principe ad extremum mendicum ostiatim viuentem turpissime decepit & depeculatus est, vt planè ob stupendum sit vel animum regis titulo & professione Christiani vnquam potuisse ad tam sordidam rapacitatem sese abijcere, vel aliquam reperiri in Aulis regum Christianorum tam profundam voraginem & Charybdim quæ tam innumerabilem pecuniæ massam potuit exorbere. Quid illud tandem? & ad hæc superiora quid magis infame & incredibile addi potest? Hoc nimirum quod loco pecuniæ argenteæ, qualis probatissima per regnum illud superioribus sæculis in vsu erat, ille corruptissimam ex mera æris ferrique scoria confecit cum perexili argenti adiunctione. Hòcque modo bonam monetam totius eius insulæ in suum fiscum inferens, eamque ita scedè permixtam cursus in populum emittens, sic eos omnes occultissimo latrocinio diripuit, vt aliquot post eius mortem annis cum filia patris hæres, vel flagitiosissima patris turpitudine, vel insigni regni dedecore, vel notabili mercatorum damno maximòq; subditorum incòmodo permota pecuniâ eam abolere vellet, & iustum eius pretium subditis restituere; comper-

*Parlame  
Henric. 8.  
anno 35.  
cap. 12.*

*Publica  
pecuniam  
corruptum  
do.*



compertum sit quod pater pro franco vel libella Francica ex ærario suo subditis venditabat, id re vera vix sextam eius partem æquauit. Imò verò maximum semi-frācorū (idem liquidè valor est solidi Anglicani) numerum cudebat, quorum singuli singulis assibus non erant pares. Quæ iactura vt erat infinita, ita maxime in promiscuam plebem redidabat. Ita enim factum est vt quum cuius quispiam collocandæ filiæ, aut mercator emendis mercibus mille aureos in cista repositos habere se arbitratur, tum ille vix centum reperiebat, reliquos autem omnes immanis ille prædo hæreticus rex suo regali latrocinio iam prius surripuerat. Et tamen (quod est inter reliqua mirabilia maxime admirandū) hoc ab eo rege factum est, qui post præcipuos Nobilissimos occisos, eorūque facultates omnes ereptas, post Clerum semel atque iterum exhaustum & expulsum, post direpta & euersa omnia Angliæ monasteria numero fere quingenta domesticis facultatibus longe ditissima, ecclesiasticis verò opibus per annos mille summa populi & externorum etiam principum deuotione aggestis longe opulentiora (ex quorum vno, nec eo maximo amplissimoque, nec prorsus expoliato, quia quod ecclesiæ Cathedrali sufficeret satis relictum est, & tamen ex eo vno viginti sex currus pleni auro, argento, gemmis, vestibusque sacris operose magnificeque contextis aucti, & regijs vsibus applicati, coniectura probabili declarant qualis gaza ex reliquis omnibus coagmentata sit) eorumque præterea reditus fundosque suis regalibus appositos, tantas auri argenti que moles, & vt verius dicam, montes accumulauerat, vt non modò eius ætate, sed nec multis ætatibus consequentibus aliquid à populo tributi nomine requirendum viri prudentes diuinarent. Et quidem

Holinsh. in  
Chronc.  
pag. 1814  
Sto 07.  
Pag. 1115

Post omnia  
monasteria  
euersa.

Cantua.  
vicijs.

De schis-  
mate An-  
glicano. li.  
1. fol. 72.

si rex



si rex ille animum habuisset populi sui salutis & tranquillitatis statu vel mediocriter intentum, certissimum est potuisse cum multis deinceps annis, imò & sæculis subditos suos à quouis tributo seruasse liberos & immunes. Sed statim cū hæresi in regis animū ingressa, ingressa est hæc publica iniquitas. Cū impietate cōtra fidē, subito se cōiunxit impietas cōtra rempub. & vt primum rex ille factus est *infidelis* quoad Deum, iuxta verissimam prædictionem Isaie prophete, repente eodemq; momento factus est *socius furum*, populiq; sui non rex sed prædo: & cum inestimabili populi publicæque reidetrimento *argentum mutauit in scorian.*

Isa. 1. 22.  
23.

Quam eandem mirificam metamorphosim eadem de causa in vicina Flãdria nuper vidimus, vbi mutationem religionis eadem profus reipub. mutatio cōsequuta est, & imprimis populi inexplicabilis quædam prædatio. Cōspiratum est illic à Catholicis contra Ducem Albanum cum hæretico Aurangio propter aliquot decimas tum quidem virgente belli necessitate impositas, sed paulò post stato tempore desituras. At qui paucas illas decimas regi Catholico pro fide Catholica sustinenda persolvere volebant, quot illi postea decimas semel, & iterum, & tertio, & quarto, quintoq; repetitas Aurangio ad exterminandam fidem Catholicam deperdere cōpulsus fuit. Quid de *decimis* loquor? quãdo paulò post & ad *quintas* deuentum est, & bonorum omnium *quinta* incredibili ac rbitate exacta. Sed nec in *quintis* persistit diu: mox enim etiam ad medietatem bonorum à singulis extorquendam processum. Et hanc tyrannidem illi perferre cōacti, mediãque bonorum partem ad fidem Catholicam radicis extirpandam ex illis regionibus monstrò illi impendere, qui aliquot decimas pro

Flãdria  
quam misere ab Aurangio ex-  
pilata.

Ecc conser-



conseruanda religione Catholica iusto moderatissimoque suo regi tribuere recusabant. Et his continuis perfolutionibus ad quantam miseriam & mendicitatem opulentissima prouincia redacta sit, ex

*Antuerpia* vnica ciuitate Antuerpiensi potest æstimari: quæ cum paulò ante vbique celebraretur tanquam inexhausta quædam præsentis pecuniæ scaturigo & emporium copiosissimum, & ferè vnicum populis Occidentalibus in eo genere monopolium, vbi regum oratores multis aureorum millionibus data cautione derepente mutuo acceptis regum suorum ingentes terra marique sumptus sustinebant: illa ciuitas vbi paucos annos sub hac hæreticæ gubernationis tyrannide egerat, etsi interim omnia domi forisque ecclesiastica vasa confluauerat, etsi ex totis vicinis prouincijs omne aurum argentumque illuc apportatum fuderat, etsi publicam pecuniæ bonitatem intermixto cupro & stanno valde imminuerat, etsi à populo immensam pecuniæ vim extorserat, etsi à regina Angliæ, à Duce Alençonis, & à fratre eius rege Franciæ non mediocre supplementum acceperat, tamen post hæc omnia, æs alienum tam innumerabile debebat, vt omnium hominum bona & facultates quæcunque, nec si sub hasta venirent, ei media ex parte soluendo essent satis.

*Iuris commentar. an. 1585.* eoque inter alias conditiones quas à principe Parmensi impetrarunt cum sub regis Philippi ditio- nem redirent, ea inter reliquas apposta est & præcipuè flagitata, vt ciuitas Antuerpiensis ad integrum annum à debitis quæ contraxerat rependendis esset libera. Sic enim cum principe illo paciscuntur. *Cum*

*Artic. 21* Antuerpienses demonstrarint se suaque bona vbique iudicij ob immensa ipsorum debita esse subiecta & detineri posse: voluit princeps vt ipsorum corpora atque bona anno abhinc integro libera maneant, nec vsquam detineantur, vt inter-  
rim ratio



vim ratio modusque inueniatur illos iuuandi, & creditoribus satisfaciendi. Et tamen, quod ad misérias illius provincie exaggerandas plurimum facit, vulgus interim ad Antuerpienses subleuandos, eadem immoderata tributa hoc tempore pendere tenebatur, quæ viuentis Aurangio in medio belli vigentis ardore dependisset. Nam & hic est alter illius compositionis articulus. *Quamuis exoptaret princeps illustrissimus vt omnes nouæ exactiones atque indi-  
Artic. 16.  
ctrones post hac cessarent & abrogarentur, vt vel tandem oppressi hætenus atque emuncti subditi nonnihil respirare possent, tamen vt facta nomina debitaque sua immensa soluantur, earundem exactionum continuationem Antuerpiensibus permisit.*

Et harum omnium Angliæ Flandriæque miseriarum, in vestra repub. & Franciæ populares originem non intuemini? Imò an non magnam earum partem iam pridem præsensistis? Non oculis videtis semen idque copiosissimum iactum, ex quo absque vlla quæstione harum calamitatum messis immensa confurgeret? Nam quid in *Henric.  
Valesius* ultimo Henrico (fatali vt opinor regibus ad regna destruenda nomine) experti estis quàm continuatam quandam bonorum vestrorum ruinam, continuatam nouorum tributorum inuentionem? qui tamen vbi ex vestro sanguine milliones singulis annis exuxisset, eos statim nequissimè nullum in publicum vsu, sed vel in mimos & adulatores inutiliter, vel in hæreticos contra Rempublicam perniciosè dissipauit. Et quid aliud ab Henrico Nauartæo Aurangij æmulo expectare potestis, qui & hæresim multò lætalius quàm Henricus ille Anglus imbibit, & vos Catholicos non minus vehementer quam ille Henricus Valesius odit & persequitur, & iam nunc eius



*Catholici  
sub Navarra  
perpetuus  
exactionibus  
exhausti  
sunt.*

Henrici vindicem se fore profiteretur; ut nemo sit Francus qui illius tyranni interitum optavit, qui propterea hunc hominem hostem sibi æternum & capitalem non sit habiturus. Qui præterea ita per Henrici Valesij adultores Epernonios & similes sanguisugas stetit, ita per eos ad hanc amplitudinem peruenit, ita per eos quos iam in delicijs habet deinceps Remp. hanc rectorus est, ut certò certius vobis polliceamini ea tributa, eas exactiones, eas direptiones quæ eorum ministerio sub illo Henrico cæperunt, sub hoc Henrico magno cum fænore esse perpetuandas. Huc adiungite istius ad bella pro hæresi propaganda alacritatem, in quibus ab ipsa pueritia innutritus est, & quæ deinceps multò quàm hæcenus promptius & ardentius suscipiet, non solum quia maiore quàm hæcenus potentia præditus maioribus propterea viribus eadem sibi bella gerenda censebit, sed etiam quia per ea bella duplici ratione seipsum suumque hæresis statum est firmaturus; partim quia directe hæreticos quos solos sibi putat subditos fideles, eò magis amplificabit; partim quia oblique vos eadem ratione exhauriet & attenuabit, quos quamdiu Catholici remanebitis, nunquam sibi persuadebit fore ex animo & sincere beneuolos. Hæc autem bella Hugonotica quàm immaniter & absque ulla misericordia à vestris bonis diripiendis incipiant, si nondum experimento vestro didicistis, potestis à Languedocensibus, & Guiennensibus, & reliquis illis vicinis populis ediscere. Potestis percipere ex vnica illa Catholicorum & hæreticorum confederatione, quæ cum infinito & æterno Gallie damno ante annos quindecim cæpit. Quæ ut primum inter Coddæum Navarrai vicarium generalem, & Danuillium confecta est, statim tanquam primarius eius

*Anno  
1575.*



rius eius confusionis articulus annectitur, *Vt impo-* Poplin. lib. 39. Leues de routes natures de tailles, &c.  
*sitio & exactio fiat omnis generis vectigalium, tributorum,*  
*reparationum, stipendiorum, accretionum, & aliorum que*  
*nec lingua mea nec calamus potest exprimere: præ-*  
*ter iura terrarum regalium, præter quintas prædarum,*  
*præter duplicia tributa omnibus mercibus imponenda,*  
*præter octo decimas ab Archiepiscopis, Episcopis, Clero sta-* A fauue de paimet d'icolles, vous le remerciez.  
*tim persolueudas, ea conditione adiecta, vt nisi tem-*  
*pore præstituto eas numerauerint, omnes eorum*  
*reditus auferantur. Hanc isti cum priuati autori-*  
*tatem sibi arrogauerunt, vt vos sic degluberent; an-*  
*iam regiam potentiam adepti non multò magis*  
*vos dilaniabunt? non multò licentiosius in vestris*  
*bonis luxuriabunt? vestram carnem & sangui-*  
*nem depascent? Aut verò deerit istis occasio & præ-*  
*textus æterna à vobis subsidia flagitandi & eripien-*  
*di, qui tam multas fortissimas in Prouincia, in Del-*  
*phinatu, in Gasconia, in Guienna, in Cenoman-*  
*nia, in Picardia, in Campania, in Burgundia, in*  
*Franciæ insula, in Normannia, in Britannia, in om-*  
*nibus Galliæ prouincijs contra eum eiusque hære-*  
*sim fœdere colligatas ciuitates, vestris opibus dis-*  
*soluere, vestris opibus oppugnare, vestris bonis ex-*  
*pugnare, subiugare, & à Catholica fide ad hæresim*  
*pertrahere conabitur? Et vos qui Catholici estis in*  
*his tam abominandis contra Deum, contra eccle-*  
*siam, contra Rempub. Gallicanam, contra corpora*  
*animasque vestras, contra salutem liberorum &*  
*posteritatis vestræ prælijs, facultates vestras insu-*  
*metis? An opes vestras tam solicite & laboriose*  
*partas, tam scelerate & nequiter ad charissimo-*  
*rum fratrum vestrorum, ad eius fidei qua sola æter-*  
*nam in cælis beatitudinem speratis, excidium &*  
*exterminationem impendi patiimini? An Ca-*  
*tholici Catholicorum hominum mortem, Ca-*  
*tholica-*

Ecc 3



tholicarum ciuitatem ruinam, Catholicarum ecclesiarum euersionem, vestris pecunijs procurabitis? An non ipsi multò vobis salutarius putatis iuxta Christi doctrinam, vt vos appensa ad collum mola asinaria vnà cū pecunijs vestris in alto mari

*Matt. 18.  
6.*

*Theodoret.  
lib. 3. ca. 6.*

demergeremini? Marcus Arethuius sanctissimus ecclesie primitiue episcopus, cum sub Iuliano Imperatore iuberetur delubrum Idolorum quod ipse sub Constantino diuerat readificare, aut saltem pecunie aliquantulum, *exiguam licet portionem* in id opus contribuere, nullo modo ad eam impietatis vel leuissimam approbationem adduci potuit. Et quamuis propterea tam varijs acerrimorum cruciatuum generibus torqueretur, vt ea sine horrore Christianus nemo possit vel cogitare, nunquam tamen potuit à proposito dimoueri: illud subinde Imperatoris ministris respondens, summè *impium esse vel obulum in tam impium opus impendere*. Et vos vos ipsos in eum locum conijcietis, vbi ad opus fanorum ædificatione lōge detestabilis, ad ecclesias Catholicæ fidei diruendos, ad Catholicos mactandos, ad Catholicas ciuitates totas destruendas, ad innumerabiles animas à Christo ad Antichristum abducendas, non obolos, sed aureos, & aureorum millia proferre compellemini? Neque tamen hæc dico vt coaceruetis & recondatis diuitias vestras, quas effundi & dispergi si quando vnquam à repub Gallicana primò formata, hæc certè tempora inprimis requirunt & efflagitant. Neque verò eas seruare potestis, etiam si ferreis aut adamantinis

*Optimus  
modus pecunias colligendi.*

capsis includatis. Quando igitur vos inuitabilis vrget necessitas, vt aut pro fide vera de bonis vestris doneris liberaliter, aut contra fidem pro hæresi eadè vobis erepta patiamini multo largius: quin vos diuina gratia ducti necessitatem hanc in virtu-

tem mil-



tem mutetis, & quod aliàs ad euersionem ecclesiæ Christi vobis per hereticos auferetur inuitis, id volentes Catholicis ad eiusdem ecclesiæ defensionem conferatis. *Date iam & dispergite liberaliter in benedictionibus*, vt vos hortatur Apostolus, ad Christi causam sustinendâ; *& iustitia vestra manebit in saculū saculi*, largi hincq; in benedictionibus à Christo percipietis compèlationem. Ista est hac miserabili tempestate expeditissima via pro perituris, coriaceis, & cannabinis sacculis, *sacculos vobis consciendi aternos qui non veterascunt*, pro caduca & incerta possessione monetæ militari licetia aut furum improbitate auferendæ, *thesaurizandi vobis thesauros in cælo vbi fures non effodiunt*, neque thesauros ita reconditos à vobis eripiunt. Hic est si non vnicus, certè præcipuus modus de illo iniquitatis Mammona *tales vobis amicos comparandi iuxta Saluatoris doctrinam*, vt cum hac *vita, & terrestri domus huius habitationis* vobis defecerit, in aeterna & nunquam defectura cælorum *tabernacula recipiamini*.

II. Cæterum hæc ego fusiùs presbyteris pastoribusque vrgenda & demonstranda relinquo, & simul à Catholicis omnibus aliquantisper abeo, ad Caluinianos proceres Nobilesque impellente me & ipsa rei indignitate, & ipsorum miserrima & planè seruili conditione, qui à nequissimis illis Satanæ ministris seducti, non in animæ solum exitium, sed in corporum quoque seruitutem ignari aguntur, ipsique suis manibus restim nectunt, quo paulò post carnificum ministrorū operâ sunt strangulandi. Quanquam autem istorum permultos obstinate hereticos esse arbitror qui ex professo reiecerunt Christum fidemque eius, & quos idcirco suo ipsorum iudicio damnatos in aeternum Christus reprobauit, & quos proinde ad salutis suæ

Ecc 4 curam



*Judaicis  
pist. v. 12.*

curam intentiorem hortari perinde est ac si Æthio-  
pem laures, aut surdo caneres, vel parieti loquere-  
ris, quando tales *arbores infructuosas, bis mortuas, & va-*  
*dicitus euulsas* vocat Apostolus, vt de eorum peni-  
tentia non magis quam de arborum ita mortuarū  
viriditate & fructu spes vlla suppetat: tamen quia  
plurimos mera cecitate & ignorantia laborare scio,  
nec ita desperanter esse improbos quin paratam  
ipsis ruinam defugerēt si eam præuiderent, & verò  
multos ego in Germania Lutheranos, multos in  
Polonia Arianos, multos in Anglia sub Henrico  
VIII. regis, & sub Elizabetha regineæ fidei Pro-  
testantes audiui qui postea perspecta eius Atheismi  
turpitudine ad Catholicam Ecclesiam reuenerunt  
talibus ego calamitatem quam ipsi sibi accersunt  
breuiter exponam. Neque tamen theologice iram  
diuinam, inferorum pœnas, hæresis quam profiten-  
tur grauitatem, scripturas sacras, primitiuam ec-  
clesiam, omnem antiquitatem, omnem doctrinam  
ipsis aduersantem vrgebo, nec sacrilegia, depopu-  
lationes, vastitates, homicidia, infinitam morum  
corruptelam, fidelitatis & honestatis communi in-  
teritum qui eorum Calvinismo coniunctissime ad-  
hæret exaggerabo: nec illud dicam vix vllum esse  
Caluinianæ eorum professionis articulum qui non  
à vetustis hæresiarchis ante multas ætates sparsus,  
ab vniuersali Christianorum Ecclesia anathema-  
tedamnatus est, præter pauca quædam noua con-  
tra Beatissimam Trinitatem & Christum incar-  
natum conficta capita, eaque adeò horribilia vt  
vix ipse Satanas ea euomere fuerit ausus. Hæc &  
quæ sunt huius generis à libris & doctoribus pe-  
tenda sunt, longèq; disputatione egent: istud ego  
vnicū monebo, quo si vel guttam habent aut Fræci-  
ci aut honesti sanguinis eos cōmoueri necesse est,  
hanc

*Caluinis-  
mus.*



hanc eorum religionem eo tendere vt Francicum regnum penitus dissipetur, & Francica nobilitas non Catholica modo, sed ipsa quoque Caluiniana radicitus deleatur. Dico Caluinistas nobiles à suis ministris ad omnem nobilitatem recidendam & exterminandam cæcos & præcipites agi. Et huius rei quam facilis & prompta est demonstratio! Conuertite oculos in statum reipub. huius & singulas eius partes, potissimum illic vbi ministri & Consistoria pleno illo quod sibi vendicant iure fruuntur. Nonne illic plebei cum nobilibus eadem omnino æqualitate confunduntur? Nonne coloni æque ac Barones Comitæve, ad præfecturas & officia publica assumuntur? Nonne Montalbani, Nemausi, Rochellæ, proceres ipsi sæpenumero cõquesti sunt homines iusticanos sibi fuisse promiscue exæquatos, quibus tamen vtrisque pro sua libidine imperabant regaliter ministri? Nonne historici vestri has contumelias passim nobilibus fuisse illatas annotarunt? Quum regis frater subducens se ex Aula, Germanorum equitum & peditum magnum exercitum conduxisset, cui singulis mensibus dependere debebat octingenta francorum millia, ijque in Regni finibus præstolarentur primam stipendij solutionem, ad quam conficiendam ille à Rochellensibus aliquam pecuniæ summam poscebat, ad quos legationem eade re misit? Non ad Nobiles (quorum tamen eo tempore Rochellæ maximam fuisse copiam nec princeps ille ignorabat) sed ad ciuium Concilium, & ministrorum Consistorium, vnâque literæ principis Condæi idem requirētis allatæ sunt, alteræ ad Conciliū ciuium, alteræ ad ministros & Consistoriū. Neq; tamen tantum ad id quod petebatur impetrandum valuit vel ipsorum Comitum qui legati erant Rochepotij & Mongo-

*Caluinisti  
Ministri  
Nobilitatis  
hostes*

*La Val  
li. 3. 1. anno  
1576.  
Poplin.*



merij præsentia, vel principis Condæi literæ; quantum Theodori Bezae supremi istorum Caliphæ simulapportata ad Consistorium epistola, qua suadebat valde fore Euangelij rationibus commodum, vt magnæ illæ Germanorum copiæ ad exugendum Gallorum sanguinem & spoliandos pagos, Gallias ingrederentur. Si Rochellenses priuilegia ostentant per quæ solum Prætori & eius Consiliarijs ciuitatis administratio est antiquitus commissa, cur ministri quorum nec nomen in Gallia aut orbe Christiano antiquitus innotuerat quando ea priuilegia dabantur, Conciliū habent Prætoriano æquale? Quod si priuilegia ferunt ministros Prætori & ciuibus effici in ciuitate regenda pares, cui Nobiles quorum & numerus erat illic longe maior & præsentia ciuitati tuendæ longe commodior, parem cum ministris honorem non assequuntur? Hoc autem tanto magis nobilitatem Calvinianam vulnerauit, quod eodem fere tempore à Rochellensibus petierant se quoque ad publicarum rerum, ad pacis bellique tractationem assumi, nec par esse vt ipsorum vita & fortunæ ex solo Prætoris & ministrorū nutu penderent, quando in omnibus Rochellæ oppugnationibus & defensionibus nobiles magis quam vel ministri vel Prætoris consiliarij vitam suam fuissent periclitati. Verum hoc postulatam Rochellensibus & ciuibus & ministris improbum & perodiosum fuit, vt qui nobilitatem plane contemnunt, nisi quando ipsis libuerit, a deo permulti hanc ob vt causam ciuitatem illam deseruerint. Eodemque prorsus modo ante biennium regis fratre Duce Andegauenſi, postea rege Rochellam obsidente, quam La-Noæus clarissimus & sine controuersia peritissimus tota Gallia Hugonotici nominis dux defendebat, nihil ille de rebus

*Nobilitas  
contempta  
a Ministris*

*Ne fassant  
grad' essent  
des gentil-  
hommes si-  
non de gra-  
ce & quâd  
il leur  
plais.  
La Val  
vbi supra  
fol. 307.*



rebus bellicis vel magnum vel minutum cum tota nobilitate statuere poterat, nisi simul popularium, & imprimis ministrorum assensus obtineretur: & non semel sed sæpenumero quæ Nobilitas volebat inducias, Ministri volebant bellum: quum missos à Duce Andegauensi legatos recipere volebant Nobiles, ministri eos non admittēdos sed vibe prohibendos decernebant: Ministri nocturnis excubijs præfuerunt; Ministri & plebei de pace belloq; , fœderibus & inducijs quod libebat inuita Nobilitate concludebant: quæ quantumuis molestissime eam indignitatem ferret, ministrorū tamen & plebeiorū (qui semper coniuncti erant) imperijs cedere cogebatur. Quam contumeliam non ferens dux ille rebus pro euangelio Calviniano gestis celeberrimus, in medio belli feruore urbem dereliquit. Historiam illā & historiae partes omnes atq; circumstantias expendite, & perspicietis vos ministros Calvinianos sustinendo, non ministros euangelij & amicos vestros, sed angelos Satanæ & capitales vobis hostes alere, & non aliter quam viperæ per exesam matris aluum, sic illi per vestram euersionem & nobilitatis totius interitum in Consistoriorū suorum regalem maiestatem ascendere conatur, interim autem vobis nō minus seruiliter quam dominus aliquis imperiosus domesticis suis famulis abutantur.

Neque hoc in vna ciuitate Rochellensi patet, vbi & ministri & ciues sua quædam contemnendæ nobilitatis priuilegia iactant, sed in quauis Galliæ regione, vbi tamē Ministri eam obtinent potestatem quam per Euangelium Geneuense vendicant. Eodem anno quo obsidebatur Rochella, Calvinistæ fratres generali consensu in Languedoca, Delphinatu, Viuaresia, & prouincijs circumiacentibus formarunt sibi reip. politiam in qua ipsi eorumque poster

*Poplin. lib.  
33. & la  
Val. li. 24.*

*La-noue.*

*Ministri  
proponunt  
sunders  
extermi-  
nare No-  
bilitatem.*

*Anno  
1573.*



- Toplin. lib.*  
32.
- posteri viuerent, & Euangelismum suum defenderent. Num vnum aliquem nobilem vt in regno, aut multos nobiles (quorum, idque valde Euangelicorum in illis prouincijs magna erat copia) vt in Aristocratia, reipub. suæ principem aut principes efficiunt? Nequaquam, sed vt in democratia popularem planè magistratum & politiam ordinant.
- » Post indictum siquidem Niniuitarum exemplo iunium & celebratam cænam, iurant se posteror-  
» que has inuiolatè leges seruatuos. I. Primum in  
1. quaque ciuitate Caluiniana publicis populi suffra-  
» gijs vnum eligunt Prætorem vel Caput, qui reli-  
» quis imperet tam in bello quàm in pace. II. Eli-  
2. gunt XXIII. Consiliarios, idque sine acceptione  
» personarum, *sive è nobilitate, sive è plebe, sive è ciuitate, sive ex agro*, modò sint apti ad procurandum bo-  
» num publicum: *quam item æquabilitatem* (de nobili  
» agricolæ nequaquam propter nobilitatem præfe-  
» rendo) in Prætoris summique capitis electione  
» præscribunt sequendam. III. Præter hos XXIII.  
3. Prætori adiunctos, & qui à Prætoře nunquam dis-  
» cedent, eligantur alij 75. qui simul cum præce-  
» dentibus numerum efficiant cætenarium, qui item  
» promiscuè capientur *sive ex ciuibus, sive ex nobilibus,*  
» *sive ex agrestibus*. Coram his omnes iudicabuntur  
» in causis criminalibus, hoc est, vbi agitur de dam-  
» natione ad mortem, exilium, aut membri alicuius  
» mutilationem. IIII. Absque Concilio XXIII.  
4. Prætor nihil poterit statuere de bello, politia, aut  
» rebus grauioris momenti. Neque Concilium  
» XXV. sine Concilio centum virali quicquam de-  
» cernere poterit de legis nouæ latione aut veteris  
» abrogatione, neque de pecunijs colligendis vel  
» expédendis, de pace vel bello, aut de alijs rebus perti-  
5. nentibus ad publicum statum. V. Singulis autem  
annis



annis primo die Ianuarij, isti primarij XXV. officijs suis decedant, & sint vt antea priuatae personae &c. Hæc est illa reipub. forma ad quam Calvinistæ ministri totam Galliam pertrahere moluntur. Hæc est idæa quam mentibus suis concipiunt, ad ipsam popularis Heluetiorum reipub. normam expressa. In hoc ministrorum istorum ambitiosissimorum intenduntur studia & molitiones, vt suppressa nobilitatis prærogatiua, annui Magistratus, præfecti militares, belli duces iudices ciuiles eligantur indifferenter siue ex ciuibus, siue ex nobilibus, siue ex agrestibus: vt in muneribus publicis nihil nobilitati supra colonos & rusticos tribuatur, omnibus autem vniuersè non aliter quàm Sol minoribus stellis ministrorum Consistorium præcellat & emineat, cuius rei viuam quandam imaginem in Scotiano Consistorio proceribus illis crudeliter insultante superius descripsimus. In Anglia quoque ministri etsi mirificè reginæ potentia supremam Ecclesiæ suæ pontificatum sibi arctè retinentis coërceantur, & quæ tanquam ad opprimendum Consistorium (quod Scotorum, & Gallorum, & Geneuensium exemplo in Angliam introducere ministri valde laborant) duos Archiepiscopos, & Episcopos aliquot ad similitudinem Ecclesiæ Catholicæ ministrorum dominos, sui vicarios in Ecclesia Anglicana creauit: non tamen propterea ministri & occultis cuniculis & apertis etiam machinis tū Reginæ supremam in Ecclesiasticis iurisdictione vt impiam, tū Episcoporum ordinem & potestatem tanquam papisticam conuellere desinunt. Quem in finem an nullum Ecclesiæ illius magistratum, nullum iudicem, rectorem nullum volunt? Nihil minus: sed ius illud & dominatum sibi ex verbo Dei conuenire asserunt. *Auchpantur* (inquit eorum

*Ministri  
omnes ubi  
que affe-  
ctant do-  
minatione  
in Nobilibus*

*Vbiq; se  
contra Pa-*

Archi-



ritanos tra  
ctat. 11.  
pag. 160.

Archiepiscopus Cantuariensis) plusquam papalem iurisdictionem, & ad seipfos transferre nituntur Episcopi, & Archiepiscopi, & Regis Pontificisque auctoritatem, principemque & nobilitatem redigere volunt in veram seruitutem. Quam tyrannicam iurisdictionem in Palatinatu Rheni à Ministris illis etiam contra Palatini Principis consiliarios fuisse vsurpatam, ipsi Zuingliani scribunt, & non modo nominatim expriment qui in ea prouincia Rhenensi quosdam principis eius consiliarios è nido pellere nitentur, agre ferens quod vt Pontifex eis imperare non potuit, sed etiam adde- dere non verentur eam valde communem & fere generalem esse ministrorum consuetudinem, vt

Clebitius in  
Victoria  
veritatis  
& ruinæ  
papatus  
Saxonici.  
in præfat.  
& cap. 3.  
argum. 8.

Pontificem Romanum oppugnent, non tam ob Apostolica doctrina recuperationem, quam ob papalem Sedem illo inde detruso occupandam vel saltem similem sibi construendam, vnde nouus Papatu Saxonicus. Huius autem tyrannidis manifesta signa & vestigia in tota hac Caluianiana Gallie tragedia homines cordati continenter aduerterunt. In primis enim tumultibus & ministri in synodo Cabillonensi definerunt, & popularis factio Beza etiam approbante clamauit ex-

Nota quo  
tendat ze-  
lus Mini-  
strorum.

terminandis esse e republica Christiana tres illas orbis terrarum pestes & quisquilias, Pontificiam ecclesiam, nobilitatem, & iurisdictionem. Esse siquidem alienissimum à pura religione, vt in republica isti dignitatum gradus & personarum ordines atque discrimina ponantur, quum Deus cunctos homines vno rege dempro pares esse voluerit. Hacque illi persuasione ebrii non minus tota Gallia nobilium, procerum, ducum, principum insignia, monumenta, sepulchra, quam Catholice Ecclesie sacramenta, Sanctorumque & Christi Seruatoris imagines & memorias vbique destruebant, quod item vbique in Scotia, Anglia, & Germania inferiore factum est, Toroque hoc primo & secundo bello

Iohā. Vetus  
in Apolog.  
Præcolus  
in Elencho.  
Alphab. et.  
lib. 2. cap.  
22.



bello ciuili, quamuis vixdum adoleuerant, vixdum  
 produxerant cornua, & vt Calvinismus eorum in  
 Gallia stabiliretur magnopere indigeret nobilium  
 auxiliarijs copijs, quam tamen se impudenter  
 & procaciter gesserunt etiam contra ipsum princi-  
 pem Condæum, virum quidem sine quæstione no-  
 bilissimum, sed ab illis impostoribus ad sempiter-  
 nam corporis animæque mortem inominisque in-  
 famiam misere seductum. Post pacem Carno-  
 tensis factam ciuitate ea nondum capta & dire-  
 pta (quod ministri prius apud se decreuerant) tan-  
 quam moderatores & correctores eidem fuissent  
 appositæ, ita insolentissime & seditiosissime in con-  
 cionibus suis & circularibus militaribus eum lacera-  
 bant. Alij pacificatorem vocabant & quicum Regina  
 matre colludebat & preuaricabatur. Alij, eum impedire  
 ne aliquid boni ad Euangelium promouendum efficeretur.  
 Alij, coram & in os ei denunciabant pacem hanc  
 ab eo factam fuisse contra Deum, & mereri vt  
 caput ei propterea amputaretur. Virique fidelissimi  
 & in ea tempestate tota principi familiares, memo-  
 riæ mandarunt principem illum fuisse pertra-  
 ctum quo ministri volebant, nec illis imperasse  
 sed paruisse, eorum subiectum voluntati & libi-  
 dini. Et an non omnibus pene notissimæ sunt  
 literæ quas Beza scripsit ad Ministros Guiennæ &  
 Aquitanie, quibus eos hortatur vt in vrbibus quas  
 ipsi suo dominatu tenent, & vbi eorum auctoritas est po-  
 tior, nullos admittant milites à principibus (Condæo  
 & Nauarræo) ad earum præsidium missos, sed Consti-  
 story Ministrorum & Synodi in præsidarijs eiusmodi  
 militibus accipiendis iudicium tantummodo sequan-  
 tur? Quo exemplo vt euidentissime constat, id quod  
 & Gallici scriptores inculcant, istos Satanæ ministros  
 sensim auferre nobilibus suam auctoritatem, eamq; tradere  
 in manus

Ministro-  
 rum erga  
 principem  
 Condæum  
 impudens  
 arrogans.

Anno  
 1568.  
 M. Lau-  
 nay en la  
 repliq. lib.  
 2. cap. 13.  
 §. e. 6.

Co. scilicet  
 de pace.

Sa. v. e. m.  
 respondit  
 Ibid.

Aduertat  
 hoc proce-  
 res Calui-  
 nians.

Anno  
 1577.  
 M. Lau-  
 nay  
 vbi supra  
 cap. 17. §.  
 13.



in manus populo & ministris, eum in finem vt tandem in-  
 uectā in Galliam democratia Heluetica, nobiles de gradu  
 deiectos cum ignobilibus confundant & permil-  
 ceant: ita ego alias huius generis historias omitte-  
 quæ sunt in vulgaribus historicis creberrimæ, in  
 hac vna velim Nobiles hæreticos intueri conditio-  
 nem & infalicitatem suam, qui pugnant non dico  
 contra Deum, contra eius certissimam veritatem  
 cōtra Christum, contra omnes maiores suos, quod  
 est tamen verissimum: sed (quod est clarissimum)  
 contra patriam, contrā nobilitatem omnem, con-  
 tra seipsos, contra honorem & dignitatem suam  
 idque vt paucos sordidos & luculentos Bezas, mi-  
 nistros omnium turpitudinum seruos suis capitibus  
 dominos imponant, sequē eorum imperijs &  
 Consistorijs abiectissimè substernant. Et quousque  
 tandem Franci Nobiles quondam vere nobilissimi  
 nobilitatem vestram his furoribus deformabitis?  
 Quousque Francorum nomen plusquam mille  
 annis tota Europa & Asia Africaque gloriosum  
 vestris impijs contra patriam & Deum rebellio-  
 bus inquinabitis? Quousque ebriosa & contraria  
 apostatae Lutheri, & duorum Geneuensium securi-  
 rum Epicuro & Diagora impiorum delicia tan-  
 quam sacrosancta Christi Iesu oracula amplexabi-  
 mini? Quandiu in his tenebris ipsa caligine Cim-  
 meria & Ægyptiaca quæ vel manibus tractari po-  
 terat crassioribus somnolenti iacebitis? Quandiu  
 isti imperiti & studidi impostores vos eludēt? Qua-  
 diu in eorū gratiam corpora vestra his perpetuis  
 ciuiliū bellorū tumultibus exponetis? Nōne  
 aduertitis quā illi apertè vestra patientia aburan-  
 tur? vestræ gloriæ insidientur? vestro sanguine re-  
 gnum sibi, seruitutem vobis in Gallia machinētur.  
 Expergiscamini verò tandem aliquando, & cogi-  
 tationem

Ad proce-  
 res Calu-  
 istas.



tationem Christianorum Francorum nobilium vel  
 ad breue aliquod tempus suscipite: & qui occæca-  
 ti ignorantia & errore decepti, ab Ecclesia Catho-  
 lica ad istorum synagogas discessistis spe Christia-  
 næ veritatis illic reperiendæ, nunc quum scire po-  
 teritis omnia esse apud eos blasphema & abominā-  
 da, eos impiè sentire de Deo, nefariè docere de  
 Christo, Turcicè negare Spiritum sanctum & sacro-  
 sanctam Trinitatem, eos de inferno & cælo fidem  
 solidam habere nullam, & solifidiana persuasione  
 in vitam communem monstra quædam scelerum  
 & flagitiorum inuehere; quum præter ista, aded  
 impudenter etiam ciuiles vobis honores inuideâr,  
 & nobilitatis dignitatem vobis auferant, vosque  
 incitent & arment ad perpetuam ignominiam ac  
 ignobilitatem vobis ipsis posterisque vestris inu-  
 rendam; si Christiani estis reueremini Dei maie-  
 statem, Christi que nomen, fidem, & religionem Ca-  
 tholicam, à qua olim in baptismo suscepta mani-  
 festè iam desciuistis, longius ab ea quam Gentiles  
 & Pagani per hanc perfidiam Calvinianam remo-  
 ti: si Frâci estis, defendite leges patrias quas diu op-  
 pugnaistis, & amplitudinem regni quàm diuturnis  
 bellis miserè labefecistis: si nobiles, ostendite aliqua  
 eius nobilitatis signa, insultando nobilissimorum  
 patrum vestigijs à quorum nobili sanguine hæc  
 nobilitas ad vos deriuata manauit. Et deniq; si om-  
 nino viti communis honestatis & prudentiæ habe-  
 ri vultis, imminentem Atheismum & seruitutem  
 miserimam à ceruicibus vestris depellite, quorum  
 alterum nunquam declinabitis nisi Calvinismum  
 ab animis vestris penitus amoueat. Illum enim  
 admittendo simul necesse est vel ministros capita  
 Ecclesiarum vestrarum à vobis adorari, vt nuper in  
 Scotia, & adhuc Geneuæ, & ita illis insolentissimis  
 F ff dominis

*Suprà cap.  
5.**Nobiles  
Caluinianè  
fucari vel  
serui vel  
Athei.*



dominis seruiteis; cuius experimentum aliquod in Gallia Scotiâque habuistis: vel regem vestrum Ecclesie caput cōstitui vt in Anglia, & tum illud omne tanquam euangelicum credere compellimini, quicquid rex ille à suis aulicis & mulierculis in hanc & illam credendi formam inflexus vobis credendum edixerit, atque ita euadetis merè Athei omnis certæ & constantis fidei expertes, cuius lectuosum Christianis omnibus exemplum infelix Anglia multis iam annis suppeditauit.

12.

Quem vel Atheismum vel Alcoranissimum necessitatem nimirum credendi quod vnus aut alter Sergius siue Mahometis, siue rex siue minister iusserit, quò minùs timeam posse in Galliam ingrauescere, vel saltem stabilem illic sedem figere, quò admodum in Græcia, Asia, Africa, Angliâque multos iam annos vsuuenit: facit partim Atheismi huius iam satis multis experimentis explorata & vnicuique cognita nequitia & turpitudine, partim ipsorum Gallorum à maioribus ducta naturæ quedam bonitas & honestas, qui quum nunquam ne Paganum quidem, hostes essent Catholicorum, quam improbabile est eos post tam diuturnam multis annorum centenarijs Christianam fidei professionem, velle infidelitati Christianis mysterijs ita ex diametro repugnanti perpetuò adhærere, & tam infirmitate à maiorum virtute degenerare: etsi ab impostoribus ad tempus seducti, cum Mahomete, & Sergio, & Turcis, & Saracenis contra Ecclesiam Catholicam matrem suam noua hæresum potentia sequuntur. Multò autem magis hanc spem amplificat præclara Gallicanæ reipub. institutio, singulorum reipub. partium zelus & virtus, in populo antiquæ fidei simplicitas & amor, in multis ex nobilitate excellens fortitudo & cōstantia, in clero pietas, doctrina,

*Suprà pag.  
539.*

*Quare de  
reipub. &  
Ecclesia  
Gallicana  
bene spe-  
randum.*



doctrina, studium, eamque fidem vel libris, vel cō-  
 cionibus, vel etiam sanguine confirmandi mirabi-  
 les propensio & alacritas: regis denique ipsius etiā  
 adhuc ab istis proditoribus à regni possessione de-  
 tineatur, summa & singularis religio, in Deo ad hāc  
 tempestatem sedandam precibus implorando rara  
 & insignis factitas, à teneris annis in Ecclesia Chri-  
 sti defendenda, versata mens & prudentia, atas re-  
 bus ordinandis maturima, coniuncta cū regia ma-  
 iestate sacerdotalis grauitas, magna apud homines  
 reuerentia, maior apud Deum gratia: Auger hanc  
 spē multò maximè & imprimis Dei ipsius qui perpe-  
 tuò ostendit eximiam Ecclesiæ Gallicanæ curam ex-  
 traordinaria quædam prouidentia, ex eo quod huic  
 Ecclesiæ fabricandæ tā gloriosos dedit architectos  
 & Apostolos, ipsos Christi Iesu domesticos, eiusq; <sup>Apostoli  
Gallicæ.</sup>  
 principū Apostolorū & Pontificum, Petri, Pauli, &  
 Clementis familiares, Lazaros, Nathanaeles, Mar-  
 thas, Dionysios Areopagitas, Crescentes, Trophy-  
 mos, Eutropios, Photinos, Sixtos, Saturninos, Mar-  
 tiales, & alios Apostolicæ familiaritatis, ætatis, &  
 spiritus permultos: ex eo quòd huius ædificij mu-  
 ros copioso fortissimorum Martyrum sanguine <sup>Martyres  
Gallicæ.</sup>  
 temperauit, Irenæi & Lugdunensium contra Ro-  
 manos Imperatores, Vincentij & Lingonensium  
 contra Vandalos, Prætextati & plurimorum Ro-  
 thomagensium, Nannetensium, & Britannorum  
 contra Normannos, & nuper innumerabilium in  
 omnibus penè regni huius prouincijs religiosorum  
 contra Calvinistas: ex eo quòd omnibus sæculis <sup>Episcopi  
Gallicæ.</sup>  
 præstantissimos huic Ecclesiæ Episcopos dedit, Mar-  
 tinòs, Exuperios, Hilarios, Prosperos, Eucherios,  
 Mamercos, Remigios, Gregorios, Vedastos, Au-  
 doanos, Hinc maros, Iuones, qui mirabili exemplo  
 vitæ & doctissimis scriptis populum Gallicanum



*Reges Gal-* in Apostolica maiorum religione continuerunt: ex  
*lia.* eo quod à primo Christianissimo rege S. Clodouo  
 nemo regno huic præfuit, vnico isto extremo ty-  
 ranno Valesio excepto, aut hæreticus, aut pertinax  
 in Ecclesia oppugnanda aduersarius. Sed etiam  
 pauci quidam in peccatis auaritiæ & luxuriæ disso-  
 lutiores, vt Dagobertus, valde Ecclesias ad aliquod  
 tempus oppresserunt; ijdem tamen postea magna  
 impietatis suæ penitentia correpti, larga compen-  
 satione multis Ecclesijs vel penitus extructis vel re-  
 gali munificentia locupletatis, priorem impietatem  
 correxerunt: ex eo denique quod ut hæc respub. to-  
*Respub.* ta à prima conuersione per Apostolos & Apostolo-  
*Galicana* rum discipulos facta, nunquam à fide semel tradita  
 ad hæresim quamcunque discessit, etiamsi prope-  
 rea grauissimas à Saracenis, ab Ariant, à Lögobar-  
 dis, à Germanis, ab Albigensibus bellorum procel-  
 las sustinuerit: ita nunc videmus eiusdem reipub.  
 membra omnia, piam plebem, religiosum clerum,  
 heroicam nobilitatem, pari studio conniti vt quam  
 fidem à maioribus acceperunt, eandem ad posteros  
 puram & incorruptam transmittant, adeo vt vis  
 possibile sit fidem in Gallia Catholicam tantis in  
 terra bonorum hominum, tantis in cælo sanctiori  
 Confessorum martyrum & Apostolorum præsidijs  
 suffultam deleri & extinguere. Huc accedit quod qua  
 eius loco sufficiens est fides Calviniana, adeo est  
*Calumif-* tetra & nefanda, ministrorum qui eam prædicant  
*20110.* vita adeo impura, mores adeo iniquari, ambitio  
 adeo immensa, tyrannica, & intolerabilis, sectario-  
 rum quorum armis eam plantare moliti sunt facta  
 adeo scelerata, crudelia, sanguinaria, & sacrilega, vt  
 nemo vir mediocriter bonus vel fidem eam posse  
 amare, vel facta non odisse, vel sectarios non dånare  
 vel ministros omnium authores non exhorrescere.  
 Ideo.



Ideoq; vt Gregorius Nazianzenus postquã Christiani sui tēporis Iuliani Apostate ministrorū insolētiã & furores gustassent, & ab ijsdē sub Iouiano Imperatore respirassēt, cōfidenter pronūtiat Christianos nunquam deinceps laturos simile alterius Iuliani aut Iulianistarum imperium: non aliter ego tot Francorum pietatis constantiæ & fortitudinis argumentis fretus, quum illi quoque iam olim immanissimã Caluinistarum Iuliani militibus simillimorum feritatem innumeris ijsque cruentissimis exemplis testatam experti sunt, & à qua per regūm & principum Catholicorum diuinam bonitatem respirarunt, ea qua Nazianzenus confidentia plenus, quod ille de Romanis Christianis, idem ego de Francis Christianis præsumo, & cum Nazianzeno de Francis asseuerari posse spero. Non iam deinceps sacrosanctis nostris Ecclesijs Iulianistæ (Caluinistæ) oculos flagitiosos iniiciant. Non iam altaria à purissimo & incruento sacrificio nomen habentia scelesto sanguine fœdabunt. Non iam sacrilega manu donaria diripient & prophanabunt impietatem auaritia cumulantes. Non iam presbyterorum caniciem, diaconorum grauitatem, virginum pudorem contumelia afficient. Non iam sanctorum incisorum præcordijs impuros porcos immittent, vt simul & præcordijs expleantur. Non iam martyrum sepulchris ignem admouebunt, vt per eorum ignominiam alios à certamine deterreant. Non iam Sanctorum reliquias cum ofsibus vilissimis per contemptum permixtas flammis absument, aut in ventos mittent, vt eos honore talibus hominibus debito spoliēt. Non iam Cathedram pestilentie (& Cōsistoriū Geneuense) instruēt, maledictis & conuitijs aduersus Episcopos presbyteros, insuperque prophetas & Apostolos, Christūque ad eū ipsum contortis oblectabuntur. Hæc & alia huiusmodi olim contra Christianos facere solebant Iuliani Apostatæ satellites:

Fff 3 eadem

Nazian.  
or: 110. 2. in  
Iulian.

duoiascē-  
2109.

Suprà pa-  
370.

Opera Cal-  
uinistarum  
& Pagano-  
rum quam  
similia.

Suprà pag.  
300. 301.  
302. & c.



eadem hodie facere consueverunt contra Catholicos Caluini Apostatae discipuli. Hæc & huius generis alia quia semel à Iulianistis passi fuerant Christiani, Christianos nunquam deinceps passuros certo sibi pollicetur sanctissimus vir. Et quia hæc eadem & atrociora in Catholicos Francos commiserunt Calvinistæ, Christiani omnes per Europam certo sibi pollicentur Catholicos Francos eadem rursus nunquam toleraturos, sed tali dedecori, & sacrilegio, & impietati, & diuini nominis contumelia, mille honestissima aduerso pectore vulnera & pulcherrimam pro Christi gloria mortem antelaturus. Quis enim Christianus non malit tristissimam mortem iterum atque iterum oppetere, quam in tam nefario hominum nequissimorum, verbo factoque Christum & Christiana omnia blasphemantium grege, siue paucos menses, siue Nestoribus annos vivere? Et si primi Christiani sic intimsensibus vexabantur, quum leues quosdam errores (si cum Calvinianis blasphemis comparantur) contra Catholicam veritatem in priuatis ædibus predicari audirent, ut mortis quam vitæ cupidiores exclamarint, *Deus bone in quæ tempora nos referuisti?* quemadmodum ad vitam hanc contemnendam animati esse debent Catholicæ, quum vident has Calvinistarum monstrosas & pluquam Mahometanas in Deum Christumque contumelias publicè è suggestu in Christianorum templis circumsolare? Vitæ nimirum cursus breuis est, pietatis merces æterna, & hoc caducum corpus vel morbo vel aduerso aliquo casu, vel saltem ætate, paucis post annis est dissoluendum: anima autem ad immortalitatem in cælis cum Deo perfruendam est creata, quod pietatis, & charitatis, & Christianæ fortitudinis officijs est ascendendum. Quò ut perueniret olim

*Ad Francos Catholicos uniuersos.*

*Euseb.*



olim Christiani Franci, nullum vitæ periculum recusarunt. Et quum sic affecti pro Christi gloria vitam neglexerunt, & contempta morte Christi hostes intrepidè sunt aggressi, Christus eis longam & gloriosam in hoc etiã mundo vitã est largitus, & eorum virtutem præclarissimis sæpenumero victorijs honoravit. Quæ enim historiæ tacent Simonem Comitem Montfortium ducem Catholicorum in Gallia contra Albigenfes: à quorum vasto exercitu centum millia complectente, in oppidulo quodam Gasconiaë obsessus, cum Catholicis mille ducentis animosè pro Christi honore caput suum morti deuouens, in eos erupit, & septendecim millia cum eorum duce Petro rege Aragoniaë occidit, reliquosque omnes in fugam vertit: vel superiori seculo Balduinum Gortofredi Bullionij fratrem, qui Hierosolymis ab hoste in arctum conclusus, quum iam de eo actum putaretur, is cum suis copiolis 260. equitum & nongentorum peditum, strenuè contempta morte contra infideles dimicans, Caliphæ exercitum fudit, in quo erant equitum millia nouem, & peditum millia viginti: quo in prælio præter pedites plurimos, quinque equitum millia desiderata sunt: aut etiam ante hos utrosque Carolum Martellum, qui in campis Turonensibus Saracenorum & Arianorum trecenta septuaginta quinque millia, minima suorum caede interfecit. Neque similia trophæa Catholicis contra hæreticos & Paganos, nostra hac ætate in extremo Oriente & Occidentali America, & sub oculis nostris hic in Europa à Deo optimo maximo donata defuerunt. *Facile est quidem* (vt ait egregius dux Machabæus) *concludi multos in manu paucorum*, quum pauci illi iustitiæ causæ, recta conscientia, spe & fiducia in Deum armati, & de morte propter eius veritatem & honorem

*Victoria  
Catholicorū  
de hostibus.*

*Belforest,  
Annal. lib.  
3. cap. 80.*

*Baptist  
Fulgos. &  
Agnatius  
lib. 3. cap.  
2.*

*Suprà fol.  
621.*

*Ozorum.*

*1. Machab.  
3. v. 18.*



adeunda non solliciti, eius inimicos, Paganos, infideles, haereticos animo magno & excelso adoriuntur: & non est differentia in conspectu Dei caeli liberare in multis vel in paucis: quoniam non in multitudine exercitus, sed de caelo victoria belli & fortitudo est. Ita nimirum in omnibus illis contra Christi hostes praelijs animati erant Franci, quemadmodum idem Machabæus suis Hebræis concionatur: ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia vt disperdant nos, & uxores, & filios nostros, & vt spolient nos. Nos autem pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostram. Quo spiritu & zelo pugnandi pro legibus Dei, & reipub. & animabus suis & suorum, quum Catholici aggrediuntur aduersarios, Deus eorum piam fortitudinem sua extraordinaria gratia solet prosequi. Et quid pro Christi nomine formidarent Christiani milites, quibus in praelio caelis aeterna paratur in caelo merces & corona, quando Romani, Graeci, Lacedæmonij, & alij Pagani sola popularis gloriae suauitate deliniti, vel honesta naturæ indole vt reipub. suæ prodesse ducti, voluntariam mortem saepenumero adiuerunt: Quum in primo bello Punico Romanus exercitus ita esset ab hostili circumclusus, vt euadere non posset, nisi ex eis aliqui collem hostibus vicinum cum certo vitæ discrimine occupantes hostilem exercitum eò auerterent, Calphurnius Flamma trecentis voluntarijs praefectus, conspicatus praesens exercitus Romani periculum, *Moriamur inquit milites, & morte nostra liberemus circumuentas legiones: nec quisquam ex tanto numero detrectauit, quò minus in locum mortis suæ, certatim quasi ad apparatus aliquas epulas procurreret. Quæ intuètes Fanci, quantò magis inflammati debêt, vt pro sua, ciuiumque suorum, & reipub. Gallicanæ,*  
innu-

*Ibid.**Ibid.**Fortitudo  
Romano-  
rum.**Liuius de-  
eade 3. li.  
7.*



innumerabilium videlicet Christianorum salute tū  
 temporalium & eterna, vitam hanc caducam si opus *Catholicorum*  
 sit despiciant, nec quacunq; conditione aut paci- *officium.*  
 ficatione ferant Calvinistam, hoc est patriæ suæ, &  
 religionis, & corporum, & animarum hostem Pæ-  
 no quouis, aut Antiocho, aut Calipha Babylonio,  
 aut Petro Albigenſium duce retrioſem, Francorum  
 Imperio præfici. Si Franci Catholici ſunt, aut cum  
 rege & fide Catholica eis vivendum, aut pro rege &  
 fide Catholica eis moriendū eſt. Si Catholici ſunt,  
 contra hæreticos Calvinistas capitales & æternos  
 Catholicorum, & hominum & myſteriorum ho-  
 ſtes, tam ambitioſè regnum vt Catholica omnia ra-  
 dicitus extirpent affectantes, ad extremum vſque  
 vitæ ſpiritum depugnandum eſt. Hoc eſt eorum ſi  
 Chriſtiani Catholici ſunt, officium. Hoc ab eis re-  
 quirunt eorum Catholici maiores, fortiffimi Mar-  
 tyres, ſanctiffimi Confellores, clariffimi reges, opti-  
 mi omnium ætatum & conditionum Franci, qui ac-  
 ceptam ab Apoſtolis Catholicam fidem, inuitis Ty-  
 rānis inuitis perſecutorib. inuitis Saracenis, inuitis  
 Arianis & hæreticis, furente & fremente Satana,  
 incorruptam eis tradiderunt, & vt idem ab iſtis ſuis  
 quoque poſteris præſtetur expectant. Hoc denique  
 ab eis poſtulat Chriſtus Ieſus qui eos in baptiſmo  
 ſuæ Catholicæ fidei conſecratos, ad perpetuā ei-  
 dem deſenſionem ſacroſancto voto obligavit.

Quòd ſi quis in Fræcia Catholicus ad eò ſit mol-  
 lis & effæminatus, vt iſtis nihil commotus, quouis *Concluſio*  
 timore, vel amore, vel fuga belli, vel deſiderio quietis,  
 ſi inclinēt ad iniuſtiſſimum Navarrai aut Cal-  
 uiniſtæ cuiuſque regnum approbandum: de tali  
 homine etiam ſi aliàs viro bono, quid ego aliud di-  
 cam, quàm quod de Marco Arethuſio Gregorius  
 Nazianzenus: à quo vt cœpi ita cum eodem ter-  
 minabo



minabo hanc Iuliani & Nauarræi comparationem, Marcus autem ille, Episcopus *eximia vite & singulari doctrina*, à Iuliani satellitibus comprehensus, postquam omnia pertulisset cruciamentorum genera quæ humanum ingenium poterat excogitare, verberibus casus, & in omnibus corporis partibus laceratus flagris, abiectus in cloacas, & deinceps per plateas à viris & mulieribus aptatus, tum traditus pueris vexandus, qui eum subime iactatum exceperere stylis, deinde inuoluerunt reti, & oleo melleq; delibutum in alto suspenderunt, apes & vespa ad eum depascendū inuitantes, à quibus ambesus est: adeo ut gloriosissimis martyribus Laurentio, Vincentio, Georgio, incredibilium tormentorum perpessione non multum concederet: tamen post hæc omnia animo inuicto tolerata, diuinus Theologus pronunciat hæc eum & his duriora promeritum hanc ob causam: quia vnus fuisse ex eis qui impurum & nefarium Iulianum morti à Constantio destinatum furtim subduxerant & seruarant, quo solo nomine merito fortasse hæc patiebatur, ac plura perpeti merebatur, quod tantum malum vniuerso terrarum orbi imprudens seruasset. Hoc idem de se dictum verissimè interpretentur Catholici Franci, Episcopi, Ecclesiastici, Duces, Comites, Nobiles, populares, quicumque Nauarræo ad regnum hoc inuadendum qualemcunque opem præbuerint: qui si deinde omnibus contumeliarum & suppliciorum generibus excarnificati fuerint, quæ tyrannica crudelitas fingere poterit, si ut Marcus ille Iuliani seruator, sic isti Nauarræi fautores promiscuè mulierum, virorum, & puerorum Calvinistarum multitudini exponantur cædendi flagris, raptandi per plateas, abiecti in cloacas, configendi cultris & scalpellis, conficiendi à vespis & crabronibus, & denique in partes minutissimas discerpenti (sic autem ut Pazanismus, ita Calvinismus quoque suos remunerare

Theod. ibi. *vid. doctrina.*  
at Saxoniæ.  
li. 5. ca. 9.

Naxian.  
Orat. 1. in  
Iulianum.



rare solet catholicos patronos, nec quicquā est vel Paganismo vel Calvinismo contra Christianos etiā amicos crudelius & ingratus) hæc omnia & his (si fieri posset) immaniora eos suo merito pati orbis christianus iudicabit, qui nō vt Marcus ille casū, sed industria, non errore, sed iudicio, nō imprudentes, sed prudētes scientesq; euidentissimis nimirum & terribilibus exemplis exercitæ a Calvinistis principibus in Anglia, Flandria, Scotia, Germania, ipsaq; etiā Gallia, tyrannicæ perfidiæ, sanguinatæ feritatis, & sacrilegi legum humanarum diuinarumq; contemptus edocti, talem *impurum & nefarium* Calvinistam, *Indianum* alterum, certum orbis Christiani malum, facem & turbinem, reipub. Gallicanæ regē admittere voluerunt.

L A V S D E O

